Roth, Ernst

Novae Comodiae Adulescentes Amatores, senes, servi quomodo congruant cum Julii Pollucis personis

NOVAE COMOEDIAE ADVLESCENTES AMATORES, SENES, SERVI QVOMODO CONGRVANT CVM JVLII POLLVCIS PERSONIS

ERNESTVS ROTH

NOVAE COMOEDIAE ADVLESCENTES AMATORES, SENES, SERVI QVOMODO CONGRVANT CVM JVLII POLLVCIS PERSONIS.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ERNESTVS ROTH (1889–)
LIPSIENSIS.

LIPSIAE
TYPIS ROBERTI NOSKE BORNENSIS
MCMXIII.

Rettulerunt ad ordinis philologos de hac dissertatione
Heinze et Bethe.

Lipsiae, d. XXIX. m. Jul. MCMXIII.

Procancellario
Le Blanc.

PARENTIBVS CARISSIMIS
PAVLOQVE FRATRI SACRVM.

Tabula argumenti.

Praefatio.

Julii Pollucis personae[1]) ad comoedias considerandas adhuc perraro adhibitae sunt. Velut Legrand in libro, qui „Daos" inscribitur, personarum omnino non mentionem fecit. At Carolus Robert[2]) primus praedicavit, Pollucem ex optimo fonte haurire. Attulit enim histrionum imagines, quae indici Pollucis respondent et demonstravit complures homines, qui in comoediis in scaenam procedunt, ad verbum fere ita describi, ut Pollucis personas. Quae cum ita sint, vir doctus affirmavit omnes comoediarum personas indice Pollucis contineri.[3])

In hac dissertatione inspiciamus novae comoediae adulescentes amatores, senes, servos, num congruant cum Julii Pollucis personis. Quaestionem instituamus ita, ut primum eos homines, qui aetate vita moribus inter se consentiunt, componamus; hoc modo velut adulescentes quasi in genera dividemus. Tum quaeramus, num haec genera personis Pollucis respondeant.

Ex imaginibus pictis, quas ad Terentii fabulas habemus, de personis nihil certi discimus, cum ne eadem quidem persona in scaenis unius comoediae eodem modo delineata sit.[4]) Conferas velut lineamenta Clitiphonis (Haut.)[5]) Praeter Plauti et Terentii fabulas adhibui maiora fragmenta Menandri.

In versibus afferendis sequar editiones, quas fecerunt Koerte (Menandri), Lindsay (Plauti), Dziatzko (Terentii).[6])

---

1) Poll. on. IV 143 sqq. (p. 244 Bethe).
2) Robert: Die Masken der neueren attischen Komödie, Halle 1911.
3) Robert p. 76.
4) cf. Robert p. 91.
5) Wageningen: Album Terentianum, Groningae 1907.
6) Alfredus Koerte: Menandrea, Lipsiae MCMXII, W. M. Lindsay: T. Macci Plauti comoediae, Oxonii, Dziatzko: P. Terenti Afri comoediae, Lipsiae 1884.

Caput I.

De adulescentibus amatoribus.

§ 1.

De νεανίσκῳ ἀγροίκῳ.

Plauti et Terentii comoedias et maiora fragmenta Menandri perlegentibus occurrunt quinquaginta fere adulescentes amatores. Qua re difficile videtur esse, eos adulescentes componere, qui aetate specie moribus inter se consentiunt.

Priusquam autem in rem subtilius inquirimus, facile cognoscimus duos adulescentes, quippe qui non oppidani, sed rusticani sint, a ceteris omnibus esse separandos. Dico Strabacem (Truc.) et Chremetem (Eun.)

Quod partes Strabacis attinet, liceat afferre hos versus argumenti:

„Tres unam pereunt adulescentes mulierem,
rure unus, alter urbe, peregre tertius".

„Rure unus", id est Strabax noster. „Agrestis adulescens" in ipsa fabula nominatur (Truc. 246).

Ex appellatione „adulescens" colligendum est eum amatorem maiorem natu esse. Infra enim videbimus amatores natu minimos „adulescentulos" vocari.

Strabax patre inscio amat meretricem. (Truc. 248). Cui pecuniam, quam patri debet, dono dat (Truc. 645 sqq.), quamquam amicula rivales nequaquam excludit (Truc. 958 sqq.). Libidine igitur Strabax adulescentes urbanos aequat. Sed rusticitatem ostendit planissime: Militi rivali videtur esse „horridus" et „squalidus" (Truc. 933). Ipse profitetur „videor stultus" (Truc. 922). Rivales nominat (Truc. 658 sqq.):

„urbanos istos mundulos amasios",

quos pecunia victurus est (Truc. 659), cum illa urbanitate omnino careat. Interdum utitur sermone rustico (Truc. 914 sq.):
„neque ruri neque hic operis quicquam facio, corrumpor situ,
ita miser cubando in lecto hic exspectando obdurui".

Adversus meretricem est rustica quadam ac suspiciosa calliditate, cum pecuniam, qua rivales omnes se superaturum esse sperat, amicae dedere minime properat;[1]) hoc modo aditum ad Phronesium sibi comparat (Truc. 958).

Ira incenditur in ea scaena, qua militi opponitur (Truc. 914 sqq.). Sed satis habet, indignationem verbis, non factis effundere, quamquam meretrix militi quoque amorem promittit (Truc. 958).

*Chremes (Eun.)[2]) a Thaide arcessitur, ut Pamphilam sororem agnoscat. Ruri habitat (Eun. 507 sqq.). Eum maiorem esse natu fortasse inde colligendum est, quod parentes iam diu mortui sunt (Eun. 518).

Chremes non amat. Sed occasione data a Strabace non multum videtur differre: Vino enim ebrius (Eun. 729 sqq.) „hilarior“ est (Eun. 731), Pythias ancilla ei videtur esse „formosior“ (Eun. 730), lascive dicit (Eun. 732):

„sine Cerere et Libero friget Venus“.

Rusticanum cognoscimus et tarda cogitatione et diffidentia, qua in Thaidem utitur (Eun. 507 sqq.) Gestus meretricis non intellegit (Eun. 735 sqq.). Ignavus est, etsi hoc verum esse negat (Eun. 757 sq.). Hostibus enim advenientibus (Eun. 761 sq.) vel nondum victis (Eun. 807, cf. 755, 763) Thaidem est deserturus. Itaque summo iure Thais exclamat (Eun. 770):

„perii, huic ipsist opus patrono, quem defensorem paro“.

Simillime ac Strabax iram ostendit non factis, sed verbis, quibus ignaviam minime dissimulat (Eun. 797 sqq.).

Quibus expositis nunc quaerimus, qualis persona his adulescentibus apta sit. Etsi minores partes agunt, tamen usitatis illis et perceptis cognitionibus, quas veteres de rusticanis habebant, dilucide respondent[3]): Risum movent cum tractatione, qua afficiuntur, tum tarditate ingenii ac rusticitate. Ad haec sunt suspiciosi, ignavi, iracundi, libidinosi occasione data.

Quibus moribus idonea est facies lata, agrestis, minime pulchra, hominem ridiculum ac stolidum indicans. Ad haec ignavia, libido, iracundia singulis lineamentis oris sunt exprimendae.

Pollux autem personam describit, quae omnibus his postulatis respondet. Legimus enim[4]):

---

[1]) Truc. 955 sqq. cf. Ribbeck: Agroikos, p. 25 sq., Leipzig 1885.

[2]) asterisco designavi eos adulescentes, senes, servos, quos Robert eidem typo attribuit atque ego feci.

[3]) cf. Ribbeck: Agroikos, Leipzig 1885.

[4]) Poll. IV 147.

„τῷ δὲ ἀγροίκῳ (scil. νεανίσκῳ) τὸ μὲν χρῶμα μελαίνεται, τὰ δὲ χείλη πλατέα καὶ ἡ ῥὶς σιμή, καὶ στεφάνη τριχῶν."

Quam personam Pollux attribuit νεανίσκῳ ἀγροίκῳ. Color fuscus homini rustico optime quadrat. Labra resima naresque simae nobis indicant libidinem ac stupiditatem. Personae speciem ridiculam esse facile intellegitur.[1] Simillime autem animi veterum hac persona commoti sunt. Quod imprimis Pseudoaristotelis his locis physiognomicis demonstratur[2]:

„οἱ δὲ τὰ χείλη παχέα ἔχοντες καὶ τὸ ἄνω τοῦ κάτω προκρεμάμενον, μωροί· ἀναφέρεται ἐπὶ τοὺς ὄνους καὶ πιθήκους."[3]

„οἱ δὲ σιμὴν ἔχοντες λαγνοί."[4]

„οἱ ἄγαν μέλανες δειλοί· ἀναφέρεται ἐπὶ τοὺς Αἰγυπτίους καὶ Αἰθίοπας."[5]

Robert sine dubio iure suspicatur[6] personam superciliis erectis esse, ut iracundia exprimatur.

Pollucem igitur hoc loco personam Strabacis et Chremetis describere vix opus est uberius exponere. Nimirum, num omnes Pollucis personae comoediae novae aptae sint, ex una hac consensione nondum est diiudicandum. Quamobrem quaestionem longius producamus.

§ 2.

De νεανίσκῳ ἁπαλῷ.

Praeter Chremetem et Strabacem adulescentes amatores sunt oppidani. Alii „adulescentes", alii „adulescentuli" nominantur. Vel inde colligendum est eos aetate inter se differre. Licet igitur proficisci a gradu aetatis, ut, num nonnulli adulescentes natura et moribus inter se consentiant, cognoscamus. Accedit, quod Pollux quattuor personas ordine aetatis componit.

Primum consideremus *Chaeream (Eun.), adulescentulum sine dubio minimum natu.

Chaerea primo aspectu pulchrae puellae statim libidine inflammatur. Eunuchi vestibus indutus ad virginem admittitur

---

[1]) cf. Robert p. 66, fig. 55.

[2]) Robert p. 59 sqq.

[3]) II cap. 60, p. 811a (p. 64 Förster).

[4]) II cap. 61, p. 811a (p. 66 Förster).

[5]) II cap. 67, p. 812a (p. 72 Förster). cf. et: „πικροῦ σημεῖα· μελανόχρως ἰσχνός". (I cap. 22, p. 808a; p. 34 Förster.)

[6]) Robert p. 31.

eamque vitiat. Puella civis Attica agnita Chaereae uxor datur. Chaeream minimum esse natu ex his cognoscimus: Uno loco appellatur „ephebus“ (Eun. 824), aliis „adulescentulus“ (Eun. 686, 931, 943, 1021). Pater miratur: „hem, quid? amat? an scit iam ille quid meretrix siet?“ (Eun. 986). Cum „custos publice“ sit (Eun. 290), annos natus est duodeviginti.[1]) Pythiae ancillae videtur esse „annos natus sedecim“ (Eun. 693). Apparet adulescentulum eunuchum simulantem et qui veste ita mutata puero sedecim annorum similis videatur, facie esse tenera, molli ac effeminata. Quod compluribus locis confirmatur: Servus dicit (Eun. 375):

„forma et aetas ipsast, facile ut pro eunucho probes“,

et (Eun. 493):

„quam liberali facie, quam aetate integra“.

Adnotanda denique sunt verba obscoena Thrasonis militis (Eun. 479):

„ego illum eunuchum, si opus sit, uel sobrius . . .!“

Quibus ex versibus dilucide cognoscimus Chaereae pulchritudinem teneram ac paene effeminatam. Mores Chaereae furore amoris plane tenentur. Amore flagrat primo puellae aspectu (Eun. 292 sqq.). Qua libidine non animus, sed sensus inflammantur. Servum rogat (Eun. 362):

„obsecro hercle, Parmeno, fac ut potiar“,

scil. virgine. Morae impatiens puellam quaerit (Eun. 292 sqq.). Pulchritudinem corporis laudibus effert (Eun. 318):

„color uerus, corpus solidum et suci plenum“.

Sine ullo angore conscientiae partes eunuchi agit (Eun. 376 sqq.). Ita ei contingit, ut aditum ad puellam sibi patefaciat libidinemque saturet. Tale amoris incendium commode comparatur cum „rabie“ (Eun. 301).

Operae pretium est commemorare Chaeream eodem tempore alias mulieres nequaquam neglegere. Cum enim Thaidem meretricem prope habitare audiat, indignatus exclamat (Eun. 360 sq.):

„perii, nunquamme etiam me illam iudisse! Ehodum, dic mihi:
estne, ut fertur, forma?“

Videmus igitur Chaeream hac libidine ita teneri, ut cetera eius vitia et virtutes quasi lumen lucernae luce solis obscurentur. Tamen unum locum liceat praedicare: Libidine satiata certior fit fratrem puellae adesse. Tum dicit (Eun. 905 sqq.):

„perii hercle: obsecro
abeamus intro, Thais: nolo me in uia
cum hac ueste uideat“.

---

[1]) cf. editionis, quam fecit Fabia, Paris 1895, p. XIII.

Pudorem igitur affert, ne fratri puellae obvium se det. Suo iure dicat quispiam Chaeream angore agitari. Certo cognoscimus eum re vera hominem infirmum esse. Nam animosus et fortis videtur esse, dum libidine tenetur. Amandi cupiditate expleta eum pudet vestis mutatae.

Quae infirmitas, ne dicam ignavia, optime quadrat ad ea, quae supra invenimus de Chaereae aetate ac specie. Porro infirmum se praebet, cum a servo consilium et auxilium petit (Eun. 305 sqq., 362). Laetus est, postquam audivit Pamphilam civem agnitam sibi uxorem dari (Eun. 1035).

Chaereae aetate specie moribus simillimus est Diniarchus (Truc.).

*Diniarchus a meretrice, quam amat, excluditur, quod pecunia donaque eum deficiunt. Ante decem menses „uini uitio impos animi“ liberam vitiavit. Quod cum pater puellae cognoverit, Diniarchus ab eo filiam uxorem sibi petit. Tamen consuetudinem amicae intermittere non vult. Ita enim cum Phronesio colloquitur (Truc. 881 sqq.):

Di.: „bene uale Phronesium“.
Phr.: „iam (me) tuum oculum (non) nocas?“
Di.: „id quoque interatim furtim nomen commemorabitur, . . . operae ubi mi erit, àd te uenero“.

Amore sensus incenduntur. Similiter ac Chaerea summis laudibus celebrat amiculae pulchritudinem corporis (Truc. 354):

„ut tota floret, ut olet, ut nitide nitet“.

Hoc loco proferenda sunt etiam haec verba (Truc. 152):

„utrosque pergnoui probe“,

scil. amores et scortorum et exoletorum.

Qua libidine Diniarchus non ita tenetur ut Chaerea, quod ipsius cupiditates iam satiatae sunt. Quamobrem apparent et exstant eae proprietates, quae Chaereae libidine nondum saturata obscurantur, dico infirmitatem atque ignaviam. Meretriciis amoribus se pessum dari non ignorat quidem (Truc. 30 sqq., 47 sqq.), sed haeret in amiculae consuetudine. Quamquam excluditur rivalesque admittuntur, nihil facit nisi flebiliter lamentatur (Truc. 30 sqq., 178 sqq.). Ut primum amicam conspexit, pulchritudine capitur (Truc. 354) novaque dona promittit (Truc. 443 sq.).

Ignaviam imprimis ex ea scaena cognoscimus, qua in patrem puellae vitiatae incidit. Audias ipsius eius verba (Truc. 818 sqq.):

„lapideus sum, commovere me miser non audeo,
res palam omnis est.“
„neque uiuos neque mortuos sum, neque quid nunc faciam scio,
neque ut hinc abeam, neque ut hunc adeam scio, timore torpeo.“

Species Diniarchi ita describitur (Truc. 609 sq.):

„. . . moechum malacum, cincinnatum,
umbraticulum, tympanotribam, hominem non nauci".

Imprimis ex verbis „malacum, umbraticulum, tympanotribam" colligendum est Diniarchum specie et aetate Chaereae simillimum esse. Quos ad versus eo loco revertemur, quo de Diniarchi persona disputabimus.

Eodem typo ac Chaerea et Diniarchus sunt[1]: Argyrippus (As.), *Pistoclerus (Bacch.), Pamphilus (Andr.), Clitipho (Heaut.), Ctesipho (Ad.), Antipho (Phorm.). Quos adulescentes ut brevius tractem, graviora solum proferam, quae ad partes aetatem mores pertinent.

Argyrippus (As.) amat meretricem. Quidvis patitur, ut novas pecunias expediat. Patri, quod auxilium tulerit, una nocte amiculae cedit.

Pistoclerus (Bacch.) cum mandata amici persequitur, Bacchidem alteram amare incipit. Pater blanditiis Bacchidis mitigatus filio ignoscit.

Antipho (Phorm.) amat Phanium eamque patre absente uxorem ducit adiutus parasiti fraudibus. Phanio filia Antiphonis patrui agnita pater veniam dat.

Pamphilus (Andr.) amat Glycerium. Pater ei aliam uxorem destinat. Sed Glycerium agnoscitur civis Attica. Qua re eam in matrimonium ducere debet, cum praegnantem eam fecerit.

Ctesipho (Ad.) amat citharistriam. Quam frater eius maior natu lenoni eripit, ut Ctesiphoni eam det. Durus pater mitigatur.

Clitipho (Haut.)[2] amat meretricem. Quod cum pater comperit, eum cogit, ut amicam deserat ducatque aliam puellam uxorem.

Quibus ex partibus apparet omnes huius generis adulescentes esse infirmos ideoque minimos natu. Nam semper subiecti atque obnoxii sunt aliis, sive patri, sive fratri, sive paedagogo, sive parasito, sive servo.

Velut Argyrippus (As.) pecuniam, qua meretricem solvat, adipiscitur fraudibus servi (As. 646 sqq.).

---

[1]) Robert p. 65 affert et Phidiam (*Κολ.*). Mea quidem sententia ex Colacis fragmentis de moribus Phidiae certi quicquam cognosci non potest.

[2]) Robert p. 55 Clitiphonem putat *νεανίσκον πάγχρηστον*, id est adulescentem amatorem maximum natu, quod uno loco „seuerus" appelletur. Quod assentiri non possum. Versu 1023 legimus: „egreditur . . . seuerus". Quod ad unam hanc scaenam pertinet et velut capite inclinato satis significatur. Imprimis autem Clitiphonem minimum natu esse cum inde demonstratur, quod „adulescentulus" vocatur, tum, quod Syrus servus ut paedagogus puerum eum tractat. Quod suo loco explicabo.

Antipho (Phorm.) uxorem duxit adiutus a parasito (Phorm. 155 sqq.).

Ctesipho (Ad.) amicam lenoni eripit auxilio fratris (Ad. 155 sqq.).

Pamphilum (Andr.) invitum pater coacturus est, ut uxorem ducat (Andr. 100 sqq.). Haec agitanti obsistit, quod amica civis Attica agnoscitur.

At Clitipho (Heaut.) voluntati patris obsecutus meretricem deserere debet (Heaut. 1056 sqq.). Adulescentulum minimum natu eum et inde cognoscimus, quod Syrus servus eum tractat ut paedagogus puerum: Consilia ei dat (Heaut. 994 sq.), dimittit eum deambulatum (Heaut. 805 sqq.), verba, quae dicat, ei subicit (Heaut. 829 sqq.), etc.

Pistoclerus (Bacch.) in scaenam producitur paedagogo comite (Bacch. 109 sqq.). Annum vicesimum nondum excessit (Bacch. 422). Bacchidem amans primum amore videtur inflammari (cf. Bacch. 50 sqq.).

Videmus igitur hos amatores ex ephebis modo excessisse. Qua re nimirum „adulescentuli" vel „homines adulescentuli" appellantur.[1])

Animi infirmitas, quae manat ex tali aetate, saepius augetur usque ad ignaviam. Rebus minus secundis hi adulescentuli nesciunt, quid faciant: Vel lamentantur, vel fuga salutem petunt.[2])

Pamphilus (Andr.) ipse dicit (Andr. 262; cf. 62 sqq.):

„patris pudor, qui me tam l e n i passus est animo usque adhuc".

Argyrippus (As.) perridiculum se praebet, qui servis turpissime irridendi sui facultatem dat, ne ab amicula segregetur (As. 646 sqq.). Quin etiam noctem amicae patri concedit (As. 736 sq.).

Quae ignavia interdum obscuratur libidine. Velut Pistoclerus (Bacch.), cum amore meretricis flagret, paedagogo nondum obsequitur (Bacch. 148 sqq., 162 sqq.).

Antipho (Phorm.), Ctesipho (Ad.), Clitipho (Heaut.), Pamphilus (Andr.) amoribus dediti sunt patribus invitis. Antipho et Pamphilus proposita assequuntur, quod amicae cives Atticae agnoscuntur, Clitipho autem, patris voluntati obsecutus meretricem deserere cogitur. Difficultatibus explicatis laeti sunt Antipho (Phorm. 820), Ctesipho (Ad. 268 sqq.), Pamphilus (Andr. 960 sq.).

---

[1]) As. 812; Bacch. 88; Andr. 55, 828, 910; Ad. 101, 112; Haut. 51, 1045; Phorm. 281; uno loco Antipho vocatur „adulescens" (Phorm. 752).

[2]) quod pertinet ad Argyrippum (As. 246, 606 sqq.); ad Antiphonem (Phorm. 178, 218); ad Pamphilum (Andr. 264, 320, 872, 245 sqq.); ad Clitiphonem (Haut. 1033 sqq., 1045); ad Pistoclerum (Bacch. 702, 713); ad Ctesiphonem (Ad. 528 sqq., 552).

Adulescentuli, quos in hac paragrapho tractamus, ita inter se congruunt, ut liceat cuilibet adulescentulo partes ceterorum huius generis adulescentium attribuere moribus minime mutatis: Omnes enim sunt minimi natu, immaturi, pueriles fere, sed Cupidinis sagittis iam vulnerati. Infirmitas animorum modo usque ad ignaviam augetur, modo furore amoris obscuratur. Itaque prima adulescentia atque libidine facta moresque reguntur, intelleguntur ac excusantur.

Iam licet quaerere, qualis persona his adulescentibus fuerit. Supra vidimus Chaeream (Eun.) et Diniarchum (Truc.) describi pulchritudine molli ac paene effeminata. Idem colligendum est ex ipsis adulescentium moribus.

Ut *νεανίσκος ἄγροικος* sileno deformi similis est, ita nunc meminisse licet Dionysi imaginis forma insigni et florentissima aetate. Cui apta est facies glabra, pulchra, hilaris, colore candido, et quae mollitiem, luxuriam, cultum corporis et formae curam ostendit, non laborem, inopiam, severitatem. Ad haec ignavia ac libido aliqua exprimendae sunt; nimirum non deformitate quadam, ut in rudi illo *ἀγροίκῳ*. Quod maxime repugnet cum illis, quae velut de Chaereae (Eun.) specie supra collegimus.[1]) Tum miles in Truculento tale quid nequaquam omittat eo loco, quo speciem Diniarchi rivalis acri subtilique iudicio percenset (Truc. 609 sq.).

Quibus expositis si ad Pollucem nos conferimus, primo aspectu videmus nullam, nisi amatoris minimi natu personam esse afferendam. Ita describitur[2]):

„*ὁ δὲ ἁπαλὸς νεανίσκος, τρίχες μὲν κατὰ τὸν πάγχρηστον,*[3]) *πάντων δὲ νεώτατος, λευκός, σκιατροφίας, ἁπαλότητα ὑποδηλῶν*“.[4])

Νεανίκος ἁπαλὸς est adulescentium amatorum natu minimus. Mollis species, quae mollitiem animi indicat bis praedicata insuper verbis „*λευκός*“ ac „*σκιατροφίας*“ explanatur et confirmatur. Magni momenti est illa: „*ἁπαλός — λευκός — σκιατροφίας — ἁπαλότητα ὑποδηλῶν*“ ad verbum fere congruere cum descriptione Diniarchi (Truc.)[5]): „moechum malacum — umbraticulum — tympanotribam“.

Ex verbis Pollucis nihil discimus de superciliis et de fronte. Personam autem superciliis compositis et fronte experrecta esse

---

1) cf. p. 11.

2) Poll. on. IV 147.

3) id est „*στεφάνη τριχῶν*“, interdum cum cincinnis coniuncta; cf. Robert p. 56.

4) cf. Robert p. 65 fig. 61.

5) Truc. 609 sq.; cf. Robert p. 56.

Robert iure suspicatur.[1] Quod sequitur ex verbis: „ἁπαλός, πάντων νεώτατος“ etc. Ad hoc vidimus Diniarchum, Antiphonem, Ctesiphonem, Pamphilum laetos esse. Cui rei frons contracta et supercilia erecta, indicia irae ac severitatis, minime sunt apta.

Ad verbum „λευκός“ afferendi sunt duo loci ex Pseudoaristotelis tractatis physiognomicis[2]:

„λάγνου σημεῖα· λευκόχρως“,
et: „οἱ δὲ λευκοὶ ἄγαν δειλοί“.

§ 3.

De νεανίσκῳ παγχρήστῳ.

Ad adulescentes revertimur. Ut contrariis adiuvemur, nunc consideremus amatores maximos natu. Hac in quaestione non maximi momenti est appellatio „adulescens“ — hoc enim verbo omnes fere adulescentes amatores praeter ἁπαλὸν nominantur — sed animi constantia, maturitas aetatis, libertas, quae ex vitae conditione, factis, moribus cognoscuntur. Huius generis adulescens est Plesidippus (Rud.).

*Plesidippus amat Palaestram, quae puella parvula patri, civi Attico, erepta a lenone educatur. Emit virginem, sed leno fraudulentus effugit cum puella, ut in Sicilia iterum eam vendat. In cursu autem naufragium facit. Palaestra fugit in templum Veneris prope domum patris. Qui crepundiis filiam agnitam uxorem dat Plesidippo. Leno in ius raptus condemnatur.

Plesidippus semper vocatur „adulescens“,[3] nunquam „adulescentulus“. Parentes, quibus subiectus sit, non commemorantur. Itaque licet putare Plesidippum parentibus mortuis sui iuris esse. Imprimis autem eum maiorem natu esse constantia ac libertate vivendi et agendi demonstratur: Puellam, quam amat, emit triginta minis (Rud. 45). Lenonem fraudulentum consecutus „tris semihomines ...[4]) chlamydatos cum machaeris“ secum ducit (Rud. 315). Tum lenonem in ius rapit et poena debita afficit (Rud. 859, 1283).

Ut aetate ita moribus Plesidippus νεανίσκῳ ἁπαλῷ maxime est contrarius. Constantiam animi ac libertatem iam praedicavimus. In universum moribus similis est viro bono. Probitas cum in ceteris tum in ea scaena elucet, qua lenoni improbo opponitur (Rud. 855 sqq.). Palaestram amat. Sed nullo loco audimus Plesi-

---

[1]) Robert p. 30.
[2]) I 31, II 67; quos locos profert Robert p. 59.
[3]) Rud. 42, 48, 59, 62, 64, 65, 80, 118, 131, 554, 871.
[4]) „secum homines“ Mitscherlich.

dippum — ut omnes fere *ἁπαλούς* — per vim vel per dolum puella potiri. Immo emit virginem et lenonem iuste condemnat (Rud. 859, 1283).

Commemoranda est Plesidippi grata voluntas in servum Tyndarum, quem, cum fidelem se praestiterit, manu mittit (Rud. 1265 sq.). Qua manumissione ea, quae de aetate Plesidippi collegimus, sine dubio confirmatur.

Lenonem vehementissime increpans hominem furiosum et iracundum se praebet. Quod leno bene novit, cum dicat (Rud. 844 sq.):

„nunc pol ego perii, Plesidippus eccum adest.
conuorret iam hic me totum cum puluisculo".

Species Plesidippi his verbis describitur (Rud. 313 sq.):

„ecquem adulescentem huc, dum hic astatis, expedite,
uidistis ire strenua facie, rubicundum, fortem".

Quos ad versus infra erit reveniendum.[1]) Antea autem adulescentes Plesidippo similes consideremus.

Afferendi sunt[2]): *Phaedria (Eun.), *Philolaches (Most.), Alcesimarchus (Cist.), Lesbonicus (Trin.), Stratippocles (Epid.), fortasse Aristophontes (Capt.), cuius partes minores sunt, quam ut naturam moresque certo perspicias.

Cum hi adulescentes inter se simillimi sint, satis est, de partibus, aetate, moribus gravissima praedicare.

Phaedria (Eun.) amat Thaidem meretricem. Quae quod rus eum mittit, aegerrime fert brevique post revenit. Cum eunuchus, quem Thaidi dono dedit, turpissimo crimine arguatur, de hac re diligenter habet quaestionem.

Alcesimarchus (Cist.) amat Selenium, quae a meretrice educatur. Pater uxorem ei destinat, sed Alcesimarchus meretrici amicam eripit et in aedes suas transfert. Selenio libera agnita omnia bene eveniunt.

Stratippocles (Epid.) in bello captivam adulescentulam mercatus est. Quae agnoscitur soror adulescentis. Restat autem Stratippocli fidicina, quam ante bellum amaverat et Epidico servo mandaverat.

Philolaches (Most.) patre absente amicam emit. Callidamatem amicum a patre redeunte veniam petentem facit.

Lesbonicus (Trin.) patre absente pecunias perdidit. Cum pater revenerit se emendatiorem vitam victurum esse Lesbonicus promittit et uxorem ducit eam, quam pater destinat.

---

[1]) cf. p. 21.

[2]) Robert p. 55 ad hos affert Clitiphonem (Haut). Quem ad alium typum pertinere demonstravi p. 13 sqq.

Aristophontes (Capt.) partes minores agit. Opponitur servo Tyndaro, qui dominum Philocratem se esse simulat. Qua re Aristophontes summa ira inflammatur.

Aetatem maiorem adulescentium imprimis inde cognoscimus, quod sui iuris ad suum arbitratum vivunt.

Velut Phaedria (Eun.) meretrici eunuchum et ancillulam ex Aethiopia dono dat (Eun. 165 sqq.).

Alcesimarchus (Cist.) Selenium amicam uxorem se ducturum esse promisit, eamque lenae per vim eripit (Cist. 99, 650).

Stratippocles (Epid.), priusquam abiit militatum, Epidico servo mandavit, ut fidicinam sibi emeret (Epid. 47). Insuper ipse captivam de praeda mercatus est (Epid. 43).

Philolaches (Most.), qui amicam e servitute redemit (Most. 223, 971), et Lesbonicus (Trin.) patribus absentibus vitam agunt suo arbitratu (Most. 20 sqq., 79 etc.; Trin. 13).

Appellatio „adulescentulus" non legitur. „Adulescens" vocantur Alcesimarchus (Cist. 125, 190, 195, 299), Stratippocles (Epid. 101, 164, 603), Philolaches (Most. 21, 83, 950), Lesbonicus (Trin. 124, 126, 128 etc.).

Si cum his adulescentibus νεανίσκον ἁπαλὸν conferimus, elucet severitas, virtus, probitas: Phaedriae (Eun.) natura moresque ita describuntur (Eun. 226 sq.):

„hoc nemo fuit
minus ineptus magis seuerus quisquam nec magis continens".

Probitatem imprimis ostendit, cum eunuchi scelere indignatus diligentissime rem querit, ut „honeste" abeat (Eun. 668, 716).

Alcesimarchus (Cist.) amicam in matrimonium se ducturum esse promisit (Cist. 99, 195). Difficultatibus obiectis tamen fidem servat patre invito (Cist. 195, 650).

Stratippocles (Epid.) emptam captivam adulescentulam non tetigit (Epid. 110). Epidicum servum ab ira patris est servaturus (Epid. 619).

Aristophontes (Capt.) adulescentem probum se praestat, cum Tyndari fraude summa ira incenditur (Capt. 556 sqq.).

Qua probitate Philolaches (Most.) et Lesbonicus (Trin.) videntur carere. Uterque enim patre absente vitam dissolutam agit (Most. 22 sqq.; Trin. 13). Sed rem diligentius perscrutemur: De Philolachis natura et moribus gravissimi sunt hi versus (Most. 30 sq.):

„quo nemo adaeque iuventute ex omni Attica
antehac est habitus parcus nec magi' continens".

Ipse queritur (Most. 133):

„ego ad illud frugi usque et probus fui."
„quo neque industrior de iuventute erat (Most. 150 sqq.)

⟨quisquam nec clarior⟩ arte gymnastica
disco, hastis, pila, cursu, armis, equo
uictitabam nolup,
parsimonia et duritia discipulinae alieis eram
optumi quique expetebant a me doctrinam sibi."

Pudore commotus patri revenienti de via decedit (Most. 1154).

Quod ad Lesbonicum (Trin.) attinet, res simillime se habet: Nominatur „corruptus" (Trin. 114), sed „sine omni malitia" (Trin. 338). Mille drachmas perdidit, quod vadimonium fecit (Trin. 425 sqq.). Amicus, ut eum adiuvet, sororem sine dote in matrimonium ducturus est. Sed Lesbonicus agellum ultimum vendere, quam beneficium accipere mavult (Trin. 505). Cum pater redierit, uxorem filio eligit. Lesbonicus voluntati patris obsequitur (Trin. 1183) vitamque emendatiorem se victurum esse promittit (Trin. 1187).

Ergo colligendum est Philolachem et Lesbonicum teneri libidinibus ad tempus tantum ortis. Nam poeta satis plane dicit probitatem exstare eaque errata superatum iri.

Quacum probitate optime convenit continentia amandi:

Phaedria (Eun.) et Philolaches (Most.) vocantur „continens" (Eun. 227, Most. 30). Philolachis libidinem ad tempus ortam esse supra demonstravi.

Lesbonicus (Trin.), quod Veneri subiectus sit, queritur (Trin. 658) et in reliquum tempus continentiam promittit (Trin. 1187). Stratippocles (Epid.) captivam non tetigit. Quamobrem Chaeribulus eum laudat (Epid. 111):

„iam istoc probior [es] meo quidem animo, cum in
amore temperes".

In universum adulescentes sunt animis severis vel tristibus. Philolachem et Lesbonicum, quippe quos vitae dissolutae paeniteat (Most. 133 sqq., 149 sqq.; Trin. 655 sqq.), tristes esse apparet. Phaedria maxime dolet, quod amica infidelis sit (Eun. 91 sq., 71 sqq., 159 etc.). Liceat ipsius verba afferre (Eun. 91 sq.):

„o Thais, Thais, utinam esset mihi
pars aequa amoris tecum ac pariter fieret,
ut aut hoc tibi doleret itidem ut mihi dolet" etc.

Alcesimachus (Cist.), quod ab amica segregetur, desperatione captus (Cist. 203 sqq.) voluntaria morte est decessurus (Cist. 639).

Quae severitas interdum augetur usque ad summum furorem:

Phaedria (Eun.) scelere eunuchi ira inflammatur (Eun. 668 sqq.). Amoris incendium ipse ante oculos exponit his verbis (Eun. 83 sq.; cf. 91 sqq., 193 sqq.):

„totus
tremo horreoque, postquam aspexi hanc".

Alcesimarchus (Cist.) amorem describit simillime (Cist. 206 sqq.):

„iactor, crucior, agitor,
stimulor, uorsor
in amori' rota" etc.

Tum ira incensus amicam lenae per vim eripit (Cist. 650). Stratippocles (Epid.) servum Epidicum „pistori plagis" est traditurus, nisi quadraginta minas conquirat (Epid. 121).

Aristophontes (Capt.) in una ea scaena, qua procedit, iracundum se praebet (Capt. 556 sqq.). Cum hanc iram Tyndaro detrimento fore intellegat, afficitur paenitentia atque dolore (Capt. 701 sq., 727 sq.).

Priusquam de persona disputamus, ea quae invenimus, breviter complectamur: Adulescentes, quos in hac paragrapho tractavimus, omni ratione contrarii sunt *νεανίσκῳ ἁπαλῷ*.

Primum enim sunt multo maiores natu. Quod demonstratur cum appellatione „adulescens" tum animi constantia, libertate vivendi, naturae morumque maturitate.

Deinde excellunt probitate.

Tum praedicanda est continentia amandi.

Denique sunt animis severis. Quae severitas ad furorem vel irae vel amoris facillime augetur.

Apparet igitur ut mores ita personam ab *ἁπαλῷ* plurimum differre. Tali ingenio minime apta est facies illa mollis, effeminata, colore candido. Immo conveniat facies firma, virilis, colorata. Ad haec severitatem ac iracundiam fronte contracta et superciliis erectis exprimi supra commemoravimus.

Iam licet accedere ad librum Pollucis. Restant *νεανίσκοι* tres. Quorum minimus natu est „*οὖλος*", quippe qui aetate proximus sit *ἁπαλῷ*. *Νεανίσκος* „*μέλας*" maior quidem est natu, sed superciliis compositis. Ergo restat „*πάγχρηστος*". Quam personam non modo aptam esse, sed re vera adulescentes huius generis esse *νεανίσκους παγχρήστους* optime cognoscimus ex Pollucis ipsis verbis[1]):

„*ὁ μὲν πάγχρηστος ὑπέρυθρος, γυμναστικός, ὑποκεχρωσμένος, ῥυτίδας ὀλίγας ἔχων ἐπὶ τοῦ μετώπου καὶ στεφάνην τριχῶν, ἀνατεταμένος τὰς ὀφρῦς*".[2])

Qui *πάγχρηστος* adulescentium amatorum est maximus natu. Pergit enim Pollux: „*ὁ δὲ μέλας νεανίσκος νεώτερος*" etc. Nomine „*πάγχρηστος*" probitas praedicatur. Ex verbis „*γυμναστικός, ὑποκεχρωσμένος, ῥυτίδας ὀλίγας ἔχων ἐπὶ τοῦ μετώπου*" cognoscimus speciem firmatam ac virilem, qua severitas, liberum arbitrium,

[1]) Poll. on. IV 146.
[2]) cf. Robert fig. 58, 98.

animi constantia significantur. Supercilia erecta ostendunt iracundiam ac concitationem animi. Quae proprietas confirmatur verbo „ὑπέρυθρος“, quod intellegimus ex hoc loco physiognomico[1]:

„οἷς τὸ χρῶμα ἐρυθρόν, ὀξεῖς, ὅτι πάντα τὰ κατὰ τὸ σῶμα ὑπὸ κινήσεως ἐκθερμαινόμενα ἐρυθραίνεται“.

Robert demonstrat verba Pollucis optime congruere cum illis versibus, quibus Plesidippus (Rud.) „strenua facie, rubicundus, fortis“ describitur.[2]) Verbum „fortis“ respondere Pollucis illi „γυμναστικός.“ Hoc loco iuvat meminisse Philolachis (Most.), quippe qui exercitationibus in gymnasiis deditus sit. Quibus exercitationibus certo intellegitur continentia amandi. Nam „uictitabam nolup'“ Philolaches pergit, postquam de palaestra disputavit (Most. 150 sqq.).

§ 4.

De νεανίσκῳ μέλανι.

Ei adulescentes, quos adhuc tractavimus, cupiditatibus aut malis aut bonis tenentur. Nunc autem accedamus ad eos, qui disciplina et humanitate excellunt ideoque vitam agunt ratione atque consilio. Talis adulescens est Pamphilus (Hec.).

Pamphilus patris precibus commotus meretricem, quam antea amaverat, reliquit et uxorem duxit puellam, quam ipse vitiaverat anulo detracto. Nuptam non tetigit. Cum autem itinere facto reveniat, uxor peperit. Qua re eam recipere non vult. Sed anulo rebus explicatis coniuges conciliantur.

Aetate numerandus est in adulescentibus maioribus natu. Vocatur enim „adulescens“ (Hec. 556). Ad hoc uxorem iam duxit, postquam antea meretricem amavit (Hec. 60 sqq.).

Puellam autem, quam in matrimonium duxit, maxime continens non attingit eamque parentibus redditurus est (Hec. 150). Quae cum Philotis meretrix audiverit, exclamat (Hec. 152):

„pium ac pudicum ingenium narras Pamphili“.

Tum autem uxorem amare incipit eo amore, quo — ut nostrates dicunt — non tantum sensus, sed ipse animus commoveatur (Hec. 404, 472 etc.). Quem amorem continentem neque sui commodi studio abreptum cum ex aliis tum ex his versibus cognoscimus (Hec. 490 sq.):

„illique (scil. uxori) exopto, ut relicuam uitam exigat
cum eo uiro, me qui sit fortunatior.“

---

[1]) Förster p. 812 a; cf. Robert p. 60.

[2]) Rud. 313 sq.; cf. Robert p. 55.

Cum tali amore optime congruit Pamphili summa erga parentes pietas (Hec. 121 sqq., 481, 602). Qua re patris precibus in assiduum animi laborem decidit, dum pietate commotus obsequitur (Hec. 120 sqq.). Legas velut hos versus (Hec. 295):

„numquam ausus sum, recusare eam quam mihi obtrudit pater“,

„matris ferre iniurias me . . . pietas iubet“ (Hec. 301).

In universum est animo severo ac tristi, sed nunquam iracundo. Cum audiverit uxorem ab ignoto gravidam esse, lacrimat (Hec. 355). Iniuriam uxori factam se celaturum esse promittit (Hec. 402). Hecyrae simillima est fabula Menandri, quae vocatur „Ἐπιτρέποντες“. Pamphilo respondet Charisius.

*Charisius Tauropoliis virginem vitiavit anulo relicto. Eandem, quam non agnovit, in matrimoniam ducit (Ἐπιτρ. 189 sqq., 234 sqq.). Dum ab Attica abest, uxor clam parit filium. Qua re cognita Charisius distrahitur ab uxore fidicinamque emit. Fidicina adiuvante omnia explanantur et coniuges reconciliantur.

Cum igitur partibus Pamphilo simillimus sit, Charisium etiam aetate ac moribus illi respondere licet suspicari. Amorem Charisii pudicum ac sincerum inde cognoscimus, quod ab uxore se seiungit, tamen maerorem non pellit neque fidicinam emptam attingit (Ἐπιτρ. 207 sqq., 223). Uxorem ita amat, ut servum exsecretur, quippe qui uxorem peperisse narraverit (Ἐπιτρ. 207 sq.). Falsam suspicionem de uxore se habuisse maesto severoque animo comperit. Cuius rei vehementer eum pudet atque paenitet (Ἐπιτρ. 465 sqq.).

Ceteri huius generis adulescentes sunt: Lysiteles (Trin.), Pleusicles (Mil.), Calidorus (Pseud.), Tyndarus (Capt.), Eutychus (Merc.), Clinia (Haut.), Lyconides (Aul.), Phaedria (Phorm.).[1]

Primum brevissime disputandum est de partibus: Lysiteles (Trin.) meretricum amores contemnit, amico consulit.

Pleusicles (Mil.) amicam a milite ereptam recuperat servo et hospite adiuvantibus.

Tyndarus (Capt.) in pueritia patri ereptus servus adolescit. Postea cum domino amicoque suo captivus a patre emitur. Amicum se praestat fidelissimum. Extrema fabula agnoscitur.

Calidorus (Pseud.) amicam, quam leno militi vendidit, recuperat Pseudoli servi fraudibus.

Eutychus (Merc.) adiuvat amicum Charinum.

---

[1]) omitto Aeschinum (Ad.), quippe qui in aliis scaenis cum his adulescentibus consentiat, in aliis autem cum νεανίσκῳ παγχρήστῳ. Scimus Adelphos ex duabus fabulis esse contaminatos.

Lyconides (Aul.) puellam, quam decem mensibus ante vitiavit, uxorem ducturus est. Quod rebus explicatis ei contingit.

Phaedria (Phorm.) amat citharistriam. Antiphonem amicum amantem adiuvat. Extrema fabula amica ei conceditur.

Clinia (Haut.) amat Antiphilam. Quod cum pater durus aegerrime ferat, Clinia stipendia facit.

„Adulescens“ vocantur: Pleusicles (Mil. 99, 289, 440 etc.), Calidorus (Pseud. 434), Tyndarus (Capt. 169, 459), Lyconides (Aul. 28, 35, 735), Phaedria (Phorm.).[1] Ad hoc audimus Tyndarum viginti quattuor annos (Capt. 980 sqq.), Calidorum nondum viginti quinque annos esse natum (Pseud. 303). Magni momenti est Lysitelem (Trin.) amicum et aequalem Lesbonici appellari (Trin. 326). Lesbonicum enim νεανίσκῳ παγχρήστῳ, id est amatori maximo natu, attribuimus.

Unusquisque huius generis adulescens optime describatur eis verbis, quae legimus de Tyndaro (Capt.):

„bene pudiceque educatust“ (Capt. 992).

Primum enim cultum atque humanitatem cognoscimus ex pietate vel erga senectutem vel erga parentes. Velut Pleusiclem (Mil.) pudet amores suos seni hospiti negotio esse (Mil. 618 sqq.). Summam pietatem erga parentes imprimis ostendunt Lysiteles (Trin. 276 sqq., 280, 301 sqq.), Calidorus (Pseud. 290 sq.), Clinia (Haut. 115 sqq., 681), Lyconides (Aul. 682 sqq.). Quacum pietate bene congruit amor non libidinosus, sed pudicus ac sincerus:

Lysiteles (Trin.) amorem meretricium contemnit (Trin. 258) amicique sororem sine dote in matrimonium est ducturus (Trin. 375).

Pleusicli (Mil.) crimini datur, quod non satis magno ardore amare videatur (Mil. 624 sq.). Pudet eum vestis mutatae (Mil. 1285 sqq.).

Calidorus (Pseud.) Phoenicium ita amat, ut tabellas, quas amica misit, lacrimis lavet (Pseud. 10). Cum, ne amica sibi eripiatur, timeat, voluntaria morte est decessurus (Pseud. 89 sqq.).

Tyndarus (Capt.) et Eutychus (Merc.) amicos fraterne amant omnique ex ratione adiuvant.[2]

Lyconides (Aul.) petit, ut sibi ignoscatur et puella vitiata uxor detur (Aul. 739 sqq.).

Phaedria (Phorm.) et Clinia (Haut.) amicas amant sincere.[3]

Tum factis et deliberationibus eruditionem optimam ostendunt

---

[1] Phorm. 1041; unus Clinia dicitur „adulescentulus (Haut. 100, 113 etc.).
[2] Capt. 249 sqq.; Merc. 486 sqq., 668 sqq.
[3] Phorm. 81 sq., 548 sqq.; Haut. 97 sqq., 408, 714.

cum ceteri tum Lysiteles (Trin.), Phaedria (Phorm.), Eutychus (Merc.).

Eutychus enim loquitur ut vir summa prudentia (Merc. 969 sq.):

„qui bono sunt genere nati, (si) sunt ingenio malo,
suapte culpa ... genus ingenio inprobant“.

Lysiteles (Trin.) optime et facete disputat de commodis incommodisque amoris (Trin. 226 sqq.). Dicendi finem facit his verbis (Trin. 266):

„apage te Amor“ ... „mihi magi' lubet
cum probis potius quam cum improbis uiuere uanidicis“
(Trin. 274 sq.).

Phaedria amicum commode defendit rhetorum praecepta secutus (Phorm. 270 sqq.). Quam ad orationem operae pretium est afferre verba Donati:

„oratorie (crimen), quod obiectum est, non purgavit modo, sed etiam ad laudem convertit, quod rhetores *περίστασιν* dicunt“.

Addendum est non iracundiam in his adulescentibus reperiri, interdum severitatem vel tristitiam.[1])

Adulescentes huius paragraphi aetate proximi sunt *νεανίσκῳ παγχρήστῳ*. Alius enim nominatur aequalis *παγχρήστου*, alius viginti quattuor annos est natus.[2]) Quod ad mores attinet, non iracundi sunt, sed tranquilli ac severi. Vitam degunt non libidinibus impulsi, sed ratione et consilio. Quod nasci videtur ex optima eruditione. Saepissime enim pietas erga parentes praedicatur.

Insuper eruditionem atque humanitatem ostendunt, cum interdum prudenter vel rhetorice verba faciunt.

Propter hanc aetatem et eruditionem dubium non est, quin ex Pollucis personis afferendus sit *νεανίσκος μέλας*[3]):

„*ὁ δὲ μέλας νεανίσκος νεώτερος, καθειμένος τὰς ὀφρῦς, πεπαιδευμένῳ ἢ φιλογυμναστῇ ἐοικώς*“.[4])

Unum addendum est: In prima Pollucis persona commemorantur „*ῥυτίδες ὀλίγαι*“, in tertia „*ῥυτὶς μία*“. Inde conicere licet et hunc adulescentem secundum, quippe qui aetate sit inter primum et tertium, frontem paulum contrahere, ut severitas exprimatur. Quod ab eo, qui librum in epitomen coegit, facile

---

[1]) cf. Pseud. 10, 89 sqq.; Capt. 200 sq.; Merc. 626.
[2]) cf. p. 23.
[3]) Poll. on. IV 146.
[4]) cf. Robert p. 65, fig. 3, 6.

omitti potuit.[1]) Accedit, quod imaginibus haec suspicatio confirmatur.[1])

Aetate igitur *νεανίσκος μέλας* non longe abest a *παγχρήστῳ*. Sed desunt illa „*ὑπέρυθρος*“ et „*ἀνατεταμένος τὰς ὀφρῦς*“, quibus *παγχρήστου* concitatio animi indicatur. Immo *νεανίσκος μέλας* propter supercilia composita est aequo tranquilloque animo.

Verbis „*πεπαιδευμένῳ ἐοικώς*“ pietatem *μέλανος* atque humanitatem ex bona eruditione natas esse videtur confirmari.

§ 5.

De *νεανίσκῳ οὔλῳ*.

Ei qui restant adulescentes necessario dividuntur in genera duo. Invenimus enim et adulescentem maiorem natu, luxuriosum, malacum, et probum adulescentem minorem natu. Quem primum consideremus. Ordiamur a Mnesilocho (Bacch.).

Mnesilochus a patria biennium afuit. Antea amaverat Bacchidem, eandemque post reditum emit. Pater blanditiis meretricis mitigatur.

Aetate proximus est *νεανίσκῳ ἁπαλῷ*. Legimus enim non „triduum aetatis“ esse inter Mnesilochum et Pistoclerum (Bacch. 461), quem personae *ἁπαλοῦ* supra attribuimus.[2])

Moribus autem „plus triginta annis“ maior est natu Pistoclero (Bacch. 462). Nam caret Pistocleri ignavia, libidine, infirmitate. Adulescentem probum se praestat et in amore et in amicitia, quam summis laudibus effert (Bacch. 385 sqq.):

„ita esse arbitror,
homini amico, qui est amicus ita uti nomen possidet,
nisi deos ei nihil praestare“.

Amorem fidemque ostendit, cum eandem puellam amat, quamquam biennium a patria afuit (Bacch. 388 sqq.).

Facillime ira incenditur (Bacch. 530 sqq.). Ipse dicit, cum rem paulum in maius extollit (Bacch. 611 sqq.):

„iracundo animo, indomito, incogitato,
sine modo et modestia sum“ etc.

Tristis est et cum ab amico falli videatur (Bacch. 489 sqq.), et postquam suspicionem falsam esse cognovit.

Cum Mnesilocho congruunt: *Gorgias (*Γεωργ.*), Philocrates (Capt.), Charinus (Merc.), Charinus (Pseud.), Antipho (Eun.). Ad hos afferam Gorgiam (*Ἥρ.*) et Nicodemum (Vid.), quippe qui cum

---

[1]) cf. Robert p. 22.
[2]) cf. p. 13 sqq.

Gorgia (Γεωργ.) consentiant, etsi ipsorum partes minores sunt quam ut mores certo ac liquido liceat iudicare.

Gorgias (Γε.) ruri apud patrem, quem ignorat, opus facit, eumque vulneratum diligentissime curat. Extrema fabula, quae non exstat, sine dubio agnitio fit.

Gorgiae (Γε.) simillimae sunt partes Nicodemi (Vid) et Gorgiae (Ἡρ.):

Nicodemus enim naufragus operarium se locat seni Diniae, quem patrem suum esse nescit. Extrema fabula agnitionem factam esse apparet.

Gorgias (Ἡρ.) in patris, quem ignorat, aedibus pecuniam debitam laborando pensitat. Procedente fabula patrem a filio agnitum esse dubium non est.

Philocrates (Capt.) cum Tyndaro, servo suo et amico, bello captus emitur ab homine privato, qui suum filium captivum permutare velit. Partibus cum Tyndaro mutatis in patriam dimittitur. Revertitur cum filio emptoris, ut promissum solvat. Ita amicum liberat.

Charinus (Merc.) in itinere emit amiculam. Eandem pater amare incipit. Quae difficultas ab Eutycho amico tollitur.

Charinus (Pseud.) adiuvat amicum, qui puellam amat.

Gorgias (Γε.) vocatur et „*νεανίσκος*“ (Γε. 69) et „*μειράκιον*“ (Γε. 46) et „*μειρακίσκος*“ (Γε. 4). „Adulescens“ appellantur Charinus (Merc. 540, 973) et Nicodemus (Vid. 31, 72), „adulescentulus“ Philocrates (Capt. 874) et Antipho (Eun. 539). Philocrates, cum Tyndarum appellet „patrem“ (Capt. 238 sq.), fortasse minor natu est quam Tyndarus, quem personae *νεανίσκου μέλανος* supra attribuimus.[1])

Facies Philocratis describitur his verbis (Capt. 647 sq.):

> „macilento ore, naso acuto, corpore albo, oculis nigris, subrufus aliquantum, crispus, cincinnatus“.

Quibus de versibus infra disputabimus.

Adnotandum est et Nicodemum (Vid.) esse „corpore candido“ (Vid. 35).

Adulescentes huius generis ostendunt fidem ac probitatem. Nonnulli enim coniuncti sunt cum amico:

Velut Philocrates (Capt.) amicum captivum liberat, cum promissum solvit (Capt. 930 sqq.).

Charinus (Pseud.) vocatur homo strenuus, amicus, benevolens (Pseud. 697). Amicum fideliter adiuvat (Pseud. 715 sqq.).

Alii res adversas probitate vincunt. Quod eodem modo per-

---

[1]) cf. p. 22 sqq.

tinet ad Gorgiam (*Γε.*), Gorgiam (*Ἥρ.*), Nicodemum (Vid.), qui paupertate coacti apud patres, quos ignorant, serviunt.

Nicodemus (Vid.) ipse dicit (Vid. 40 sqq.):

„si tibi pudico opus est et non malo,
qui ** quam servi tui
cibique minimi maxumaque industria,
minime mendace, em me licet conducere".

Gorgias (*Γε.*) patrem vulneratum sedulo fovet (*Γε.* 59 sqq.). Severi sunt Philocrates (Capt. 200 sqq., 945 sqq.) et Charinus (Merc. 472, 588 sqq.). De Gorgia (*Ἥρ.*) et Nicodemo (Vid.), quippe qui in rebus adversis sint, idem licet suspicari. Iracundus est Gorgias (*Γε.* frgm. 3). Charinus (Merc.) desperatione ita capitur, ut paene in insaniam incidat (Merc. 472, 930 sqq.).

Adulescentes huius generis nominantur et „*νεανίσκος*" et „*μειράκιον*" vel et „adulescens" et „adulescentulus". Minime mirum id quidem! Collegimus enim velut Philocratem (Capt.) minorem natu esse quam Tyndarum, quem personae *μέλανος* attribuimus, et legimus Mnesilochum (Bacch.) aetate proximum esse *νεανίσκῳ ἁπαλῷ*, id est adulescenti amatori minimo natu. Ergo hi adulescentes sunt ea aetate media, cui et verbum „adulescens" et „adulescentulus" aptum est.

At moribus „plus triginta annis" maiores natu videntur esse.[1]) Nam longe absunt ab *νεανίσκου ἁπαλοῦ* luxuria atque ignavia. Immo excellunt probitate ac fide. Saepius legimus eos paupertate coactos laborando victum quaeritare. Severi sunt vel iracundi occasione data.

Moribus igitur cum *νεανίσκῳ παγχρήστῳ* ita consentiunt, ut Mnesilochum (Bacch.) et eius similes *πάγχρηστον* minorem natu liceat appellare.[2])

Pollux autem personam *παγχρήστῳ* fere omni ex ratione similem, sed minore aetate his verbis describit[3]):

„*ὁ δ' οὖλος νεανίσκος μᾶλλον νέος, ὑπέρυθρος τὸ χρῶμα· αἱ δὲ τρίχες κατὰ τοὔνομα· ὀφρῦς ἀνατέταται καὶ ῥυτὶς ἐπὶ τοῦ μετώπου μία*".[4])

Pollucis verba optime respondent eis versibus Captivorum (Capt. 647 sq.), quibus species Philocratis describitur.[5]) Imprimis

---

[1]) cf. p. 25.
[2]) hoc modo horum adulescentium personam describit Robert p. 51.
[3]) Poll. on. IV 147.
[4]) cf. Robert p. 65, fig. 14, 15.
[5]) Robert p. 55; vir doctus hos versus ad Tyndarum (Capt.) falso refert.

verbis „οὖλος, ὑπέρυθρος τὸ χρῶμα, αἱ τρίχες κατὰ τοὔνομα“ respondent illa: „subrufus aliquantum, crispus, cincinnatus“.[1])

Aetate νεανίσκος οὖλος medius est inter μέλανα et ἁπαλόν. Quam rem optime cum eis congruere quae de aetate cum ceterorum huius generis adulescentium tum Philocratis (Capt.) et Mnesilochi (Bacch.) supra invenimus, uberius non repetam.

Liceat autem hoc loco, de aetate adulescentium pauca in universum disserere:

Supra vidimus νεανίσκον ἁπαλόν XVIII annos[2]) esse natum, sed nondum egressum esse ex anno vicesimo.[3]) Tum velut Tyndarus (Capt.), quem personae νεανίσκου μέλανος attribuimus, annos natus est XXIV (Most. 1155 sqq.). Itaque, cum fere sex anni sint inter Pollucis personam secundam et quartam, in universum colligendum est singulas personas spatio circitur trium annorum inter se distare. Ergo ἁπαλός circiter XVIII, οὖλος circiter XXI, μέλας circiter XXIV, πάγχρηστος circiter XXVII annos est natus.

§ 6.
De νεανίσκῳ δευτέρῳ ἐπισείστῳ.

Restant nonnulli adulescentes luxuriosi, qui moribus cum ἁπαλῷ consentiunt, sed aetate proximi sunt παγχρήστῳ. Talis adulescens est Callidamates (Most.).

Callidamates a convivio ad convivium ebrius transit et obdormiscit. A patre Philolachis amici petit, ut illi ignoscatur. Sumptus amici soluturus est (Most. 1155 sqq.).

Aetate prope accedere videtur ad νεανίσκον πάγχρηστον. „Sodalis“ enim, vel „primus sodalis“ vocatur Philolachis (Most. 310, 1120, 1153), quem personae παγχρήστου attribuimus (cf. p. 17 sqq.). Ipse Philolachem „amicissimum“ salutat (Most. 340). Huiusmodi autem sodales aetate non multum inter se differre licet suspicari. Accedit, quod parentes non commemorantur et quod amici sumptus se soluturum esse promittit (Most. 1160 sq.). Inde colligendum est eum divitem ac sui iuris esse.

Et profecto vitam agit ad suum arbitrium: Luxuriae deditus e convivio ad aliud convivium titubat hilaris, ebrius, balbutiens, fortasse coronatus (Most. 342, 319, 344).

Non miramur talem adulescentem libidine νεανίσκῳ ἁπαλῷ similem esse. Amicula ebrium comitatur (Most. 311). Vel servum Phaniscum amare dicitur (Most. 890, 894).

---

[1]) crines crispos interdum cum cincinnis coniunctos esse demonstrat Robert p. 55.

[2]) cf. p. 11.

[3]) cf. p. 14.

Cum Callidamate aetate ac moribus congruunt: Ambo Menaechmi (Men.), Agorastocles (Poen.), Phaedromus (Curc.), *Moschion (*Περικ.*), *Moschion (*Σαμ.*), fortasse Diabolus (As.) et adulescens dives (*Γεωργ.*), quorum uterque partes minimas agit.

Menaechmus-Epidamnius puer e patria ereptus heres est hominis divitis. Cum uxore litigat. Qua re visitat amiculam. Ridiculose confunditur cum fratre gemino.

Menaechmus-Sosicles per sex annos totum fere orbem terrarum percurrit, ut fratrem inveniat. Epidamni agnitio fit. Antea in compluribus scaenis cum Menaechmo-Epidamnio confunditur.

Agorastocles (Poen.) puer Carthagine Calydonem abreptus ibique adoptatus heres est hominis divitis. Puella, quam amat, libera et cognata agnoscitur. Rebus explicatis uxorem eam ducit.

Phaedromus (Curc.) ante aedes amicae noctu cantat. Curculionis fraudibus puella potitur. Quam liberam agnitam in matrimonium ducit.

Moschion (*Περικ.*) a muliere adoptatus amore incenditur puellae, quam ipsius sororem esse nescit. Quae agnitione facta nubit militi. Moschioni alia uxor quaeritur.

Moschion (*Σαμ.*) a sene adoptatus vitiavit Plangonem, vicini filiam, quae puerum peperit. Quam rem patrem diu celaverat, sed difficultatibus explicatis Plangonem uxorem ducit.

Diabolo (As.), cum puellam emere velit, rivalis praevenit. Quam rem ulturus est.

Adulescens dives (*Γεωργ.* frgm. 2) puellam vitiavit (*Γεωργ.* 30).

Qui adulescentes aetate non longe absunt a *νεανίσκῳ παγχρήστῳ*. „Adulescens" dicuntur: Menaechmus-Epidamnius (Men. 100, 135), Menaechmus-Sosicles (Men. 1079), Agorastocles (Poen. 96), Diabolus (As. 634). Appellationem „adulescentulus" in fabulis non invenimus.[1])

Moschionis amica (*Σαμ.*) puerum peperit (*Σαμ.* 304 sqq.). Menaechmus-Sosicles, frater geminus Menaechmi-Epidamni, per sex annos ubique fratrem quaerit (Men. 234). Menaechmus-Epidamnius iam uxorem duxit.

Phaedromus (Curc.) se amicam liberaturum esse promittit (Curc. 209).

Diabolus (As.) parasito comite in scaenam prodit, ut puellam emat (As. 746 sqq.).

Quod speciem attinet, Menaechmus-Epidamnius pulchritudine

---

[1]) Agorastocles (Poen.) in prologo uno loco vocatur „adulescentulus" (Poen. 115).

corporis se comparat cum Ganymede et Adonide (Men. 143 sqq.). Ambo autem Menaechmi ut fratres gemini facie ita inter se consentiunt, ut alter alterius „speculum" nominetur (Men. 1062, cf. 1064). Menaechmus-Sosicles ex aedibus meretricis exit coronatus (Men. 463).

Agorastoclem (Poen.) miles rivalis ita alloquitur (Poen. 1317 sq.):

„cur non adhibuisti, dum istaec loquere, tympanum?
nam te cinaedum esse arbitror magi' quam uirum".

Ergo colligendum est adulescentes huius generis similiter ac *νεανίσκους ἁπαλοὺς* esse pulchritudine corporum atque mollitie.

Quos adulescentes parce ac duriter neque vivere neque educatos esse iam ex partibus cognovimus. Filii enim adoptati sunt Menaechmus-Epidamnius (Men. 60), Agorastocles (Poen. 76), Moschion (*Περικ.* 2 sqq.), Moschion (*Σαμ.* 131).

Ceterorum patres vel diem supremum obierunt (Men. 1028), vel non commemorantur. Ei, qui adoptaverant Menaechmum-Epidamnium (Men. 62) et Agorastoclem (Poen.), iam mortui sunt (Poen. 77). Insuper divites sunt: Moschion (*Περικ.* 22), pater Moschionis (*Σαμ.* 161 sqq.), Menaechmus-Epidamnius, Menaechmus-Sosicles (Men. 59 sqq., cf. 234 sqq.), Agorastocles (Poen. 73 sqq.), Diabolus (As. 746 sqq.), adulescens dives (*Γεωργ.* frgm. 2). Itaque unusquisque vitam agit ad suum arbitrium.

Voluptatibus vini et epularum imprimis dediti sunt ambo Menaechmi (Men. 302 sqq., 475 sq., 563) et Moschion (*Περικ.* 22). Libidine excellunt omnes, quod uberius exponere vix opus est.

Apparet tales adulescentes saepissime hilares esse, non severos.

Videmus igitur adulescentes huius generis luxuria atque libidine simillimos esse *νεανίσκοις ἁπαλοῖς*. Specie quoque sunt molli ac paene effeminata, cum comparentur cum cinaedo (Poen. 1318; cf. p. 30), Ganymede, Adonide (Men. 143 sqq.; cf. p. 30).

Sed tamen hi adulescentes in numerum *ἁπαλῶν* venire non possunt. Multo enim maiores sunt natu. Quod demonstratur cum singulis eis rebus, quas de aetate invenimus, velut appellatione „adulescens", tum vivendi ut volunt potestate, qua consentiunt cum *νεανίσκοις παγχρήστοις*.

Ergo opus est persona, quae aetate *παγχρήστῳ*, moribus *ἁπαλῷ* proxima sit.

Pollux autem praeter eas personas, quas tractavimus, nullam personam amatoris videtur afferre. Rustici enim adulescentis persona allata describit personam militis.

Sed tum pergit[1]):

„. . . (τῷ δὲ ἐπισείστῳ, στρατιώτῃ ὄντι) . . . ἐπισείονται αἱ τρίχες, ὥσπερ καὶ τῷ δευτέρῳ ἐπισείστῳ, ἁπαλωτέρῳ ὄντι καὶ ξανθῷ τὴν κόμην".

His verbis sine dubio describitur adulescens amator, ut πάγχρηστος, μέλας, οὖλος, ἁπαλός.[2]) Nam ceterorum adulescentium personae, velut militis vel parasiti, suis locis a Polluce enumerantur apposito verbo „στρατιώτης", „παράσιτος", „κόλαξ" etc. Quae suspicatio confirmatur et imaginibus, quas Robert attulit.[3]) Conspicimus enim adulescentem cincinnatum, molli facie, ebrium, interdum coronatum et cantantem, quem Menaechmum vel Callidamatem vel Moschionem possis nominare.

Verba „ἐπισείονται αἱ τρίχες" ad luxuriam pertinere videantur. Nam infra videbimus[4]) cincinnatos esse et eos senes, qui libenter ac hilariter vitae bonis fruuntur. Supercilia composita esse Robert sine dubio iure est suspicatus.[5])

Ex verbis „ἁπαλωτέρῳ ὄντι" (scil. quam miles) cognoscimus naturam moresque similes νεανίσκῳ ἁπαλῷ.

Atque νεανίσκον ἁπαλὸν vel δεύτερον ἐπίσειστον adulescentem mollem ac vitae luxuriosae deditum esse et inde apparet, quod his personis simillimae sunt Dionysi imagines, quas statuarum artifices illis temporibus finxerunt.

Qua re et ille Dionysus, qui in Aristophanis Ranis et in Euripidis Bacchis inducitur, ab νεανίσκῳ ἁπαλῷ vel δευτέρῳ ἐπισείστῳ specie non multum differat. Conferas velut hos versus ex Euripidis Bacchis:

„ξανθοῖσι βοστρύχοισιν εὐόσμοις κομῶν" (Eur. Bacch. 235),
„ἀτὰρ τὸ μὲν σῶμ' οὐκ ἄμορφος εἶ, ξένε,
ὡς ἐς γυναῖκας, ἐφ' ὅπερ ἐς Θήβας πάρει·
πλόκαμός τε γάρ σου ταναὸς οὐ πάλης ὕπο,
γένυν παρ' αὐτὴν κεχυμένος, πόθου πλέως·
λευκὴν δὲ χροίαν ἐκ παρασκευῆς ἔχεις,
οὐχ ἡλίου βολαῖσιν, ἀλλ' ὑπὸ σκιᾶς,
τὴν Ἀφροδίτην καλλονῇ θηρώμενος" (Eur. Bacch. 453 sqq.).
„ἁβρὸν βόστρυχον" (Eur. Bacch. 493).

---

1) Poll. on. IV 147.
2) cf. Robert p. 7, 62, 66.
3) Robert p. 7, 62, 65 sq., fig. 13, 85, 87.
4) cf. p. 48 sq.
5) Robert p. 30.

Caput II.

De senibus.

§ 7.

De πορνοβοσκῷ.

De senibus licet brevius disputare. Proprietates enim, etsi numerus senum non minor est adulescentium, simpliciores sunt ideoque facilius perspiciuntur. Accedit, quod complures senes ipsa professione inter se coniunguntur. Lenones dico, quorum naturam moresque ut exponamus, consideremus primum *Labracem (Rud.).

Labrax Plesidippum adulescentem decepturus est, cum puellam, quam ille iam emit, in Siciliam avehit, ut iterum eam vendat. In cursu autem leno naufragio facto in Plesidippi manus incidit poenaque debita afficitur.

Labrax vocatur „senex“ (Rud. 317). Species describitur his versibus (Rud. 125 sq.):

„ecquem tu hic hominem crispum, incanum uideris?“
„recaluum ad Silanum senem, statutum, uentriosum,
tortis superciliis, contracta fronte . . .“ (Rud. 317 sq.).

Ad haec legimus eum esse „inraso capite“ [1]) et similem mendico (Rud. 1306).

Vitia Labracis paucis verbis ita colliguntur (Rud. 651 sqq.; cf. 318 sqq.):

„fraudis, sceleris, parricidi, peiiuri plenissimus,
legerupa impudens, inpurus, inuerecundissimus,
uno uerbo apsoluam, lenost“.

Quas proprietates nimirum non omnes sed tamen complures procedente fabula ostendit. Inprimis leges violat sine ullo angore conscientiae. Quamquam enim arrabonem iam accepit (Rud. 46) iuratoque promisit se Plesidippo amicam traditurum esse, tamen puellam abducit (Rud. 48 sqq.). Insuper alterum periurium facit

---

[1]) Rud. 1303; Robert p. 55 putat Plautum hoc loco erravisse. Sed mea quidem sententia nihil impedit ne homo recalvus (Rud. 317) „inraso capite“ (Rud. 1303) sit.

in ipsa fabula (Rud. 1343 sqq.; cf. 1371 sqq.). Qua de re cum obiurgetur, his verbis se excusat (Rud. 1373 sq.):

„iuratus sum et nunc iurabo, si quid uoluptati est mihi:
ius iurandum rei seruandae, non perdendae conditum est".

Quibus ex versibus avaritiam cognoscimus regulam unicam, ad quam tota vita Labracis dirigatur; avaritia enim commotus et Plesidippum fallit et iusiurandum bis neglegit. Quae cum ita sint homines a lenonibus semper fraudari inter omnes constat (Rud. 47, 346).

Denique operae pretium est commemorare Labracem per vim a signo Veneris puellas abripere minime vereri (Rud. 690).

In eadem ac Labrax professione versantur: *Sannio (Ad.), *Dorio (Phorm.), Dordalus (Pers.), Cappadox (Curc.), Lycus (Poen.), Ballio (Pseud.), leno (*Κολ.*).

Quorum partes moresque, cum inter se simillimi sint, summatim pertractabimus:

Plerumque operam dant ut emptores fraudent. Sed adulescentium gratia non solum ipsi fraudibus decipiuntur sed etiam saepius turpiter illusi afficiuntur verberibus.

Aetatem lenonum, cum partes minores agant, certis finibus circumscribere non possumus. „Senex" nominatur Ballio (Pseud.) (Pseud. 871, 1190).

Quod ad mores lenonum attinet, opinione illorum temporum nihil lenonibus erat excellentius in vitiis. Imprimis tenentur avaritia, perfidia, nullo iureiurando. Avaros se praebent cum ceteri tum Dordalus (Pers. 422 sqq., 683 sqq.), Lycus (Poen. 179, 660 sqq.), Ballio (Pseud. 177 sqq., 267, 285 sqq.), Dorio (Phorm. 582 sqq.), leno (*Κολ.* 85 sqq.). Mendacii libido et periurium sescenties commemorantur.[1])

Poetae libentissime versantur in lenonum natura describenda. Quibus ex locis unum et alterum afferre liceat[2]):

„oh, lutum lenonium,
commixtum caeno sterculinum publicum
inpure, inhoneste, iniure, inlex, labes popli,
pecuniai accipiter auide atque inuide,
procax, rapax, trahax" (Pers. 406 sqq.) . . .

„sceleste . . . uerbero . . . bustirape . . . furcifer . . . sociofraude . . . parricida . . . sacrilege . . . periure . . . legerupa . . . pernities adulescentium . . . fur . . . fugitiue . . . fraus populi" (Pseud. 360 sqq.).

---

[1]) cf. Pers. 562; Curc. 705, 458 sq., 496 etc.; Poen. 825; Pseud. 351 sq., 1224; Ad. 189; Phorm. 527 sqq.

[2]) ad hos cf. Curc. 499 sqq.; Poen. 825 sqq.; Pseud. 975, 1083.; Ad. 189 sq.; Phorm. 509.

Quibus locis demonstratur lenones homines contemptissimos ad quamlibet audaciam promptos haberi. Nam fieri non potest ut omnia quorum arguuntur flagitia re vera committant. Avaritia autem impulsi saepissime se praebent mendaces perfidos periuros.

Pollux lenonibus hanc personam tribuit[1]):

„ὁ δὲ πορνοβοσκὸς τἆλλα μὲν ἔοικε τῷ Λυκομηδείῳ, τὰ δὲ χείλη ὑποσέσηρε καὶ συνάγει τὰς ὀφρῦς, καὶ ἀναφαλαντίας ἐστὶν ἢ φαλακρός". [2])

Cum πορνοβοσκός „τἆλλα" Λυκομηδείῳ similis sit, descriptionem Λυκομηδείου liceat proferre[3]):

„ὁ δὲ Λυκομήδειος οὐλόκομος, μακρογένειος, ἀνατείνει τὴν ἑτέραν ὀφρῦν, πολυπραγμοσύνην παρενδείκνυται".

Pollucem verbo „τἆλλα" imprimis provocare ad πολυπραγμοσύνην Robert suo iure affirmat;[4]) nam haec proprietas cum lenonis partibus et moribus convenit.

Quod autem suspicatur etiam barba lenonem cum Λυκομηδείῳ congruere,[5]) fortasse in medio relinquendum est. Ballionem (Pseud.) enim Simia alloquitur (Pseud. 967): „tu, qui cum hirquina barba stas". Ergo barba fuit in acutum desinente. Quamobrem Robert dubitat,[6]) an Ballioni personam πορνοβοσκοῦ tribuere liceat. At Ballio ceteris lenonibus simillimus est. Malim igitur putare aut Plautum hoc loco Graecum exemplum commutavisse, aut illud „τἆλλα" nihil pertinere ad Λυκομηδείου barbam. Capillorum quidem habitu Λυκομηδείῳ similis videtur esse. Nam Labrax (Rud.) vocatur „crispus" (Rud. 125). Eundem incanum esse supra vidimus.[7])

Verba Pollucis bene conveniunt cum illis versibus quibus Labracis (Rud.) facies describitur (Rud. 317 sq.). Imprimis verbis „recaluus — tortis superciliis — contracta fronte" respondent illa Pollucis „ἀναφαλαντίας" et „συνάγει τὰς ὀφρῦς".[8])

Addendum est imagines lenonum nasos simos habere.[9]) Qua re in Rud. versu 317 fortasse confirmatur lectio Italorum, qui scripserunt:[10])

„recaluom ac silonem senem".

---

1) Poll. on. IV 145.
2) cf. Robert fig. 30, 31, 32, 33.
3) Poll. on. IV 145.
4) Robert p. 16.
5) Robert p. 16.
6) Robert p. 55; cf. p. 76.
7) cf. p. 32.
8) Robert p. 54.
9) Robert p. 31.
10) cf. editionis quam fecit Leo adnotationem ad Rud. 317.

Quid nares simae sibi velint, cognoscimus ex hoc loco physiognomico:[1])

„οἱ δὲ σιμὴν ἔχοντες λάγνοι· ἀναφέρεϱεται ἐπὶ τοὺς ἐλάφους“.

Quam personam lenonibus novae comoediae aptissimam esse inprimis docent verba „τὰ χείλη ὑποσέσηϱεν“ et „συνάγει τὰς ὀφϱῦς“. Contractis enim superciliis vultus fit trux atque malitiosus. Tali vultu truculento intuetur miseros illos adulescentes, qui non auro sed precibus lenonis animum moturi sunt.

At aliis, qui pecunia abundent, ut hilari similis occurrat operam dat.[2]) Sed tamen, etsi benignitatem simulat, frontem contractam exporrigere non potest.[2])

Duobus autem his lineamentis oris coniunctis, quippe quae secum pugnent, dilucide demonstratur lenones esse homines dissimulantes.

Optime igitur persona πορνοβοσκοῦ oculis obiciuntur illa quae lenonum maxime propria sunt, dico simulationem, perfidiam, nullam iuris iurandi fidem.

§ 8.

De πρώτῳ πάππῳ.

Ut ceteros senes disponamus, primum quaerimus, num natura moribusque inter se congruant senes aetate maxima. Ordiamur a *Demiphone (Merc.).

Demiphonis filius adportat pulchram puellam. Quam cum pater amare coeperit, vicini auxilio emit. Sed rebus explicatis senex probris laceratur.

Demipho egressus est annum sexagesimum (Merc. 524, 1017); nimirum vocatur „senex“ (Merc. 291, 305, 314 etc.). Ipse dicit (Merc. 547) „breue iam reliquae uitae spatiumst“. Et aetatem et speciem cognoscimus ex verbis: „Acheruntícus, senex uetus, decrepitus (Merc. 290 sq.; cf. 314), edentulus (Merc. 541), capite cano“ (Merc. 305).

Qua aetate neglecta Demipho tenetur libidine intempestiva atque indigna. Primo enim puellae aspectu amore inflammatur eamque „subigitare occepit“ (Merc. 203). Ad quam insaniam processerit, ipse confitetur (Merc. 264 sq.):

„amaui hercle equidem ego olim in adulescentia,
uerum ad hoc exemplum numquam ut nunc insanio“.

---

[1]) II 61, p. 811 b; quem locum profert Robert p. 60.
[2]) cf. Robert, fig. 30, 31, 32, 33.

Et profecto ut adulescens amator desiderat voluptatem amatoriam (Merc. 266 sqq.) et convivium luxuriosum (Merc. 692 sqq.). Sic sumptuosus fit cano capite (Merc. 693), ut „uoluptate, uino et amore“ delectetur (Merc. 548).

Sed multo infirmior et ignavior est quam ut cupiditates aperte atque ingenue profiteri vel satiare audeat. Immo timide operam dat, ut coram filio simulet (Merc. 390 sqq.) et uxorem, quam minime amat (Merc. 556 sqq.), rem celet (Merc. 499 sqq.).

Tamen ea quae cupit non adipiscitur. Ipse Lysimachus vicinus, quamquam amatorem decrepitum adiuvat, talem amorem ridiculum et turpem esse aperte dicit (cf. Merc. 290 sqq., 305, 574 sqq.). Cum vero puella filii amicula agnoscatur, senex consternatus verbisque castigatus (Merc. 976 sqq.) satis habet flebiliter veniam petere atque pudere (Merc. 986 sqq., 993 sqq.).

Complures senes aetate, specie, moribus cum Demiphone congruunt. Proferendi sunt: *Lysidamus (Cas.), *Theopropides (Most.), Demaenetus (As.), Chremes (Phorm.), senex (Men.), Antipho (Stich.), Periphanes (Epid.), pater Alcesimarchi (Cist.).[1])

„Senex“ appellantur omnes[2]) praeter patrem Alcesimarchi (Cist.), quippe qui perpaucos versus loquatur. Saepius legimus verba non minus ad aetatem quam ad speciem pertinentia. Nominantur enim:

Lysidamus (Cas.): „edentulus, uetulus ueruex, decrepitus“ (Cas. 550, 535, 559),

Demaenetus (As.): „decrepitus senex, capuli decus“ (As. 863, 892),

senex (Men.): „barbatus tremulus Titonus, uetulus, edentulus“ (Men. 854, 864),

Periphanes (Epid.): „uetulus, decrepitus“ (Epid. 186, 666),

senex (Cist.): „uetulus cantherius“ (Cist. 307).

Cano vel candido capite sunt Lysidamus (Cas. 518), Demaenetus (As. 934), Theopropides (Most. 1148).

Nonnulli excellunt intempestiva libidine:

Lysidamus (Cas.) amat puellam (Cas. 48 sqq.), qua per dolum potiturus est (Cas. 52 sqq.). Amore flagrat ut adulescentulus (Cas. 217 sqq., 276).

Demaenetus (As.) cum filium amantem adiuverit, poscit amiculae noctem (As. 736; cf. 883, 892).

Antipho (Stich.) a genero tibicinam petit (Stich. 539 sqq.).

---

[1]) ad hos Robert p. 57, 61 affert Periplectomenum (Mil.) et Calliphonem (Pseud.). Quos alii typo attribuendos esse infra demonstrabo p. 45 sqq.

[2]) Cas. 35, 48, 58 etc.; Most. 11, 25, 57 etc.; As. 362, 380, 458 etc.; Phorm. 65, 71; Men. 811, 820, 858 etc.; Stich. 539, 543, 545 etc.; Epid. 73, 88, 163 etc.

Chremes (Phorm.) legitima uxore nescia alteram uxorem duxit (Phorm. 942, 1041), quam frequenter visitabat (Phorm. 1012).

Senex (Cist.) libidine incensus meretrici amorem videtur verbis declarare (Cist. 307 sqq.).

Quam libidinem ostendere minime audent:

Velut Lysidamus (Cas.), Demaenetus (As.), Chremes (Phorm.) uxores, quarum imperiis obnoxii sunt,[1]) timentes, pavidissime operam dant, ut dissimulent libidinesque celent.[2])

Antipho (Stich.), quamquam uxor iam mortua est, tamen id quod cupit non aperte eloquitur, sed forma narratiunculae utitur (Stich. 539 sqq.).

Theopropidi (Most.), Periphani (Epid.), seni (Men.) libidinosos se praebendi occasio non datur. Congruunt autem cum ceteris huius generis senibus infirmitate atque ignavia:

Theopropides timidum se praebet, cum domum fugit, quam larva inquietari servus affirmat (Most. 508 sq., 528).

Fraudibus patefactis servum dolo captaturus rem male gerit (Most. 1069 sqq., 1098).

Periphanes (Epid.) iterum uxorum ducere in animo habet, sed reveretur filium (Epid. 171 sq.). Cuius amore et sumptu perterritus orbatur consilio atque auxilio (Epid. 191 sq., 253 sqq.). Cum mansuetior quam perspicacior sit, ab Epidico perfacile bis fraudatur (Epid. 285 sqq., 565; cf. 592).

Senex (Men.) simulatione Menaechmi perturbatur filiaeque suadet, ut fuga salutem petat (Men. 850 sqq.).

Talium infirmorum senum consilia nimirum non prospere eveniunt. Aut — ut supra vidimus — a servis callidis falluntur, aut libidines satiaturi deprehenduntur in aperto scelere. Tum pudore et timore oppressi minime resistunt, sed sorte contenti sunt, dummodo saeva uxor mitigetur.[3])

Breviter complectamur, quae de huius generis senibus invenimus.

Primum dubium non est, quin sint natu maximi. Candido enim vel cano capite annum sexagesimum excesserunt. Ad haec saepius vocantur „vetulus, decrepitus, Acheruntics“ etc.

Deinde differunt a ceteris senibus anxietate animi atque infirmitate. Qua re consilia perficiunt non simplicitate vel aperta ira, sed dolo ac dissimulatione.

Tum occasione data excellunt intempestiva libidine.

Qua aetate maxima, anxietate animi, dissimulatione, libidine

---

[1]) Cas. 155, 575; As. 87, 743; Phorm. 585, 743 sq., 942 sqq.
[2]) Cas. 228 sqq.; As. 741 sqq., 586 sq.; Phorm. 1012.
[3]) cf. Cas. 970 sqq.; As. 921 sqq.; Phorm. 1004 sqq.

ad eam personam deducimur, quam Pollux attribuit seni maximo natu[1]):

„ὁ μὲν πρῶτος πάππος πρεσβύτατος, ἐν χρῷ κουρίας, ἡμερώτατος τας ὀφρῦς, εὐγένειος, ἰσχνὸς τὰς παρειάς, τὴν ὄψιν κατηφής, λευκὸς τὸ χρῶμα, τὸ μέτωπον ὑπόφαιδρος“.[2])

Ex verbis „*πρεσβύτατος, ἰσχνὸς τὰς παρειάς, ἡμερώτατος τὰς ὀφρῦς*“ cognoscimus *πρῶτον πάππον* esse senem maxima aetate, gracili facie, ad furorem minime idoneum. Immo operam dat, ut fronte paulum experrecta simplicitatem atque hilaritatem simulet. „Ut simulet“ dico, nam vultum demittit. Quis nescit hominem cogitationes, imprimis libidines dissimulantem oculos in terram deicere?

Colore candido congruit cum *νεανίσκῳ ἁπαλῷ*. Iam tum attulimus duos illos locos ex Pseudoaristotelis tractatis physiognomicis, quibus colorem candidum esse indicium ignaviae atque libidinis demonstratur[3]):

„λάγνου σημεῖα· λευκόχρως“,
„οἱ δὲ λευκοὶ ἄγαν δειλοί· ἀναφέρεται ἐπὶ τὰς γυναῖκας“.

§ 9.

De *ἑτέρῳ πάππῳ*.

Πρώτοις πάπποις in comoediiis interdum opponuntur alii senes eadem fere aetate, sed moribus contrariis. Velut in Casina invenimus et Lysidamum, senem illum ignavum, libidinosum, nequissumum, et virum probum Alcesimum.

Alcesimus etsi Lysidami libidinem improbat, tamen ut bonus vicinus eum adiuvat. Homines autem tali consuetudine inter se coniunctos aetate proximos esse licet suspicari.

Vocatur „senex“ (Cas. 558).

Sed moribus a Lysidamo omnino differt: Primum enim et animo et corpore valet. Qua re cognomina illa Lysidami, velut „senex decrepitus, edentulus“ etc., in Alcesimum non transferuntur.

Deinde vacat Lysidami ignavia ac infirmitate. Quod dilucide cognoscitur ex dissimilitudine uxorum. Lysidamus enim — ut supra vidimus — sub imperio uxoris est. At uxor Alcesimi cum adversus alios viros tum adversus maritum reverentiam adhibet (Cas. 206 sqq.).

---

[1]) Poll. on. IV 143.
[2]) cf. Robert fig. 44, 45.
[3]) I 31; p. 38 Förster, II 67; p. 72 Förster.

Tum otium sumit non in libidinibus intempestivis, sed in officio civis colendo vel in re publica administranda. Quam obrem appellatur (Cas. 536): „senati columen, praesidium popli".

Atque amorem Lysidami adeo non probat, ut, quamquam vicino auxilium fert, apertis verbis talem senem amatorem ridiculum et improbum dicat (Cas. 520, 550 sqq.).

Ad extremum denique ira incenditur, quod incommoda ex auxilio oriri videantur (Cas. 550 sqq., 609).

Ita virum bonum se praestat omnibus partibus.

Ex eodem typo sunt[1]: *Crito (Andr.), Callicles (Trin.), Hegio (Ad.), Hanno (Poen.), Daemones (Rud.), Callicles (Truc.), Apoecides (Epid.), Smicrines (Ἐπιτρ.).

„Senex" nominantur Callicles (Trin. 17), Crito (Andr. 855, 899), Hanno (Poen. 83), Daemones (Rud. 35, 77, 634 etc.), Callicles (Truc. 770), Apoecides (Epid. 373, 616, 661).

Ad haec Apoecides (Epid.), cum familiariter utatur Periphane, quem πρώτῳ πάππῳ attribuimus,[2]) non multo minor natu esse videtur illo. Quae coniectura inde confirmatur, quod Epidicus „uetulos duo", scilicet Periphanem et Apoecidem illudit (Epid. 187).

Porro legimus Calliclem (Trin.) „senecta aetate" esse (Trin. 43), et Hegionem (Ad.) aequalem Simuli cuiusdam mortui (Ad. 466).

Crito (Andr.) speciem praebet viri boni, nam „tristis ueritas inest in uoltu" (Andr. 857).

Quibus expositis nunc disserendum est de partibus ac moribus. Unumquemque huius generis senem „senati columen, praesidium popli"[3]) licet nominare:

Callicli (Trin.) amicus, qui iter faciat, thesaurum obrutum remque omnem mandat. Dum amicus abest Callicles maximis difficultatibus obiectis perficit, ut thesaurus illi conservetur (Trin. 150 sqq.). Atque etiam, ne amici sumptuosus filius de thesauro nuntium accipiat, callide impedit (Trin. 174 sqq.). Insuper curat, ut filia amici dote augeatur (Trin. 612, 731 sqq.).

Ergo Charmidi quaerenti (Trin. 1095 sq.):

„qualine amico mea commendaui bona?"

commode respondit:

„probo et fideli et fido et cum magna fide".

Crito (Andr.) Glycerio consulit curatque, ut agnoscatur civis (Andr. 801 sqq.). Id agit, ne infamia aspergatur (Andr. 815 sqq.).

---

[1]) Robert p. 61, 94, 96 ad hos affert Lysimachum (Merc.), Simonem (Pseud.), Chremetem (Phorm.). De his senibus disputo p. 46, 42, 36 sqq.

[2]) cf. p. 36 sqq.

[3]) quibus verbis describitur Alcesimus (Cas. 536).

Chremes eum nominat bonum virum (Andr. 915). Davus servus et mores et speciem his verbis describit (Andr. 855 sqq.):

„senex . . . confidens catus:
quom faciem uideas, uidetur esse quantiuis preti:
tristis ueritas inest in uoltu atque in uerbis fides".

Hegio (Ad.) strenue servit saluti propinquorum Simuli amici mortui. Qua re Aeschinum adulescentem, quippe qui Simuli filiam vitiaverit, ut eam uxorem ducat, cogit (Ad. 352, 493 sqq.). Ut ipse probus est, ita alios ad probitatem adhortatur (Ad. 501 sqq.). Pauper est (Ad. 948; cf. 501 sqq.). A Demea laudatur vir „antiqua uirtute ac fide" (Ad. 443).

Hanno (Poen.) amore paterno impulsus terras mariaque percurrit (Poen. 104 sqq.), ut filias quondam ereptas reperiat (Poen. 83 sqq.). Cui rei studet summa prudentia atque calliditate (Poen. 111 sqq.). Cum filiarum meminit, lacrimas fundit (Poen. 1109). Deos pie colit (Poen. 950 sqq., 1274).

Daemones (Rud.) quod alios servavit ideoque rem perdidit, patria expulsus Cyrenis parce vitam agit (Rud. 918; cf. 38, 35 sqq.). Puellas, quae lenonem scelestum fugiunt, tuetur atque defendit (Rud. 645 sqq.). Arbiter electus controversiam iuste dirimit (Rud. 1084 sqq.). Virum probum se praestat vel erga lenonem fraudulentum, cum vidulum ei reddit (Rud. 1358 sqq.).

Smicrines (*Ἐπιτρ.*) in scaena simillima arbitrum severum quidem, sed iustum se praestat (*Ἐπιτρ.* 11 sqq.; cf. 77 sqq., 136 sq.). Filiam quam a genero desertam esse putet, in suas aedes indignatus est traducturus (*Ἐπιτρ.* 431 sqq.).

Callicles (Truc.) cum filiam gravidam esse compererit, severe ac prudenter vitiatorem exquirit (Truc. 787 sqq.) et curat, ut uxorem eam ducat (Truc. 844). Non minus parcum quam severum iustumque se praebet, cum genero sex talenta dotis demit (Truc. 845).

Apoecides (Epid.) Periphani amico neque consilio neque opera deest (Epid. 256 sqq., 394 etc.). Ab Epidico vir „iura qui et leges tenet" praedicatur (Epid. 292).

Qui senes non multo minores natu videntur esse quam *πρῶτοι πάπποι*. At natura moribusque maxime differunt. *Πρώτῳ* enim *πάππῳ* attribuimus senes illos decrepitos, ignavos, libidinosos. Nunc autem consideravimus viros bonos et qui non libidinibus tenentur, sed cives probi publicae saluti serviunt. Qua in re utuntur non dissimulatione illa atque anxietate, sed ingenuitate, fortitudine, prudentia. Itaque os vultumque referunt hominis probi, iusti ac severi.

Cui diversitati morum cum necessario respondeat diversitas personae, maxime idoneus est *ἕτερος πάππος* [1]):

---

[1]) Poll. on. IV 144.

„ὁ δ' ἕτερος πάππος ἰσχνότερος καὶ ἐντονώτερος τὸ βλέμμα καὶ λυπηρός, ὕπωχρος, εὐγένειος, πυρσόθριξ, ὠτοκαταξίας“.[1])

Πρῶτος πάππος — ut supra vidimus — „*πρεσβύτατος*“ nominatur. De *ἑτέρου πάππου* aetate nihil dicitur. Verisimillimum autem est personas senum compositas esse ordine aetatis.[2]) Ergo bini senes eadem fere aetate sed moribus dissimillimis iuxta componuntur. Quae res et gemino nomine et singulis lineamentis oris confirmatur:

Neque enim *ἕτερος πάππος* colore candido se ostendit libidinosum atque ignavum. Non vultum demittit, sed intentis oculis omnia intuetur. Quamobrem consilia perficit non infirmitate ac dissimulatione, sed virtute atque prudentia. Porro vultus tristis et severus optime quadrat ad eos senes, qui aetate neglecta quosvis dolores suscipere quam ullam partem officii deserere malint. Addendum est Critonis (Andr.) faciem hoc modo describi (Andr. 856 sq.). Gracili facie senex summa aetate et qui parce ac duriter vivit, videtur demonstrari. Supercilia paulum erecta esse Robert ex imaginibus collegit.[3]) Quae sententia inde confirmatur, quod senes huius generis saepius indignatos invenimus.

Cur autem *ἕτερος πάππος* natura moribusque a *πρώτῳ* differat, intellegitur ex verbo „*ὠτοκαταξίας*“. Conferendus enim est hic locus Pollucis[4]):

„*ἐπὶ δὲ τῶν ἐν γυμνασίοις πληγῶν τὰ ὦτα κατεαγέναι, καὶ ὠτοκάταξις*“.

Ergo *ἕτερος πάππος* in adulescentia exercitationibus gymnasii summo studio deditus erat.

Ita factum est, ut *πρῶτος πάππος* decrepitus, malacus, libidinosus sit, *ἕτερος* autem, etsi eadem fere aetate, tamen corpore robusto vitam agat sincere ac probe.

§ 10.

De *ἡγεμόνι πρεσβύτῃ*.

Ei senes, quos adhuc tractavimus, plerumque minores partes agunt. Nunc venimus ad patres adulescentium, quorum amoribus in comoediis magnum spatium datur. Ordiamur a *Demea (Ad.)

Demea filium dure atque aspere educat. Procedente autem fabula sibi persuasit mollem educationem esse praeferendam. Qua re operam dat, ut mitior et benignior fiat.

---

[1]) cf. Robert fig. 43.
[2]) cf. p. 49.
[3]) Robert p. 21.
[4]) Poll. on. II 83; quem locum profert Robert p. 31.

Nominatur „senex“ (Ad. 23, 314, 768 etc.). Dum severus est, „tristis“ ingreditur (Ad. 79, 82 sq., 866) contracta fronte (Ad. 839). Ut filium severa disciplina educat (Ad. 64 sqq., 112 etc.), ita ipse parce ad duriter ruri vitam agit (Ad. 45, 869). Qua re lenitate atque facilitate, qua Micionem fratrem filii adoptivi mores corrumpere putat, afficitur dolore, cura ac indignatione (Ad. 79, 82 sqq., 134 sqq.).

Cum vero intellexerit suam rationem successu carere, nimirum summa ira inflammatur (Ad. 789 sqq.). Ingenium durum et inexorabile ipse his verbis cemplectitur (Ad. 866):

„ego ille agrestis, saeuos, tristis, parcus, truculentus, tenax“.

Quae saevitas non discrepat cum humanitate quam extrema fabula ostendit. Utraque enim res nascitur ex amore paterno. Qua de causa initio filium acerbe et dure tractat, ut optime eum educet. Tum autem, quoniam severitatem cognovit vanam, id agit ut mores commutet (Ad. 877 sqq.). Itaque operam dat, ut hilari vultu blande loquatur omnesque homines beneficiis cumulet (Ad. 833 sqq.). Ergo ab Aeschino patris lepidissimi appellatione summo iure salutatur (Ad. 911).

Senem Demeae simillimum invenimus Hegionem (Capt.), quamquam argumentum Captivorum ab omnibus comoediis dissentit. Hegio vocatur „senex“ (Capt. 4, 7, 266 etc.).

Ut filium ab hostibus bello captum permutet, duos hostium adulescentes captivos emit.

Quos in captivos hominem humanum se praestat, cum catenas eis demit et captivitatem omni ex parte sublevat (Capt. 110 sqq.). Sed decipitur a captivis. Servus enim Tyndarus dominum se esse dicit ideoque efficit, ut ille in patriam dimittatur (Capt. 251 sqq.). Quam fraudem cum Hegio sero perspexerit, maxima ira incensus (Capt. 653 sqq.) Tyndarum in lapicidinas abripit (Capt. 721 sqq.).

Extrema autem fabula cum summa laetitia ambo filios recipit (Capt. 895 sqq.).

Patres modo severi modo humani in comoediis saepissime inveniuntur. Proferendi sunt[1]: *Menedemus (Haut.), *Simo (Andr.), *Niceratus (Σαμ.), Laches (Hec.), Demipho (Phorm.), Nicobulus (Bacch.), Simo (Pseud.), Laches (Πεϱιν.), Charmides (Trin.), senex (Eun.), Laches (Men. fab. inc. I).

---

[1]) Robert p. 110 affert et Iovem (Amph.). Equidem Amphitruonem consulto reliqui, cum dubium sit, an exemplum Graecum attribuendum sit comoediae novae. Comoediae mediae Amphitruonem primus attribuit Osann, Mus. Rhen. II p. 334. Quae suspicatio inde confirmatur, quod Iuppiter Amphitruo aetate medius videtur esse inter novae comoediae adulescentes et senes.

„Senex" vocantur: Menedemus (Haut. 197, 416, 513 etc.), Simo (Andr. 209), Laches (Hec. 118, 123, 174 etc.), Demipho (Phorm. 63, 65, 67 etc.), Nicobulus (Bacch. 174, 231, 343 etc.), Simo (Pseud. 407, 454, 1190), Charmides (Trin. 871, 981), senex (Eun. 298, 961, 1000 etc.). Ad haec audimus Demiphonem (Phorm.) esse fratrem minorem natu Chremetis, quem πρώτῳ πάππῳ attribuimus.[1]) Menedemus (Haut.) Chremeti amico videtur esse:

„annos sexaginta natus aut plus" (Haut. 62 sq.).

Nicobulus (Bacch.) est cano capite et alba barba (Bacch. 1101, 1208).

Qui senes partibus moribusque ita inter se consentiunt, ut operae pretium non sit, de unoquoque singillatim disputare. Proprietates enim patefaciunt, cum modo aspere modo liberaliter filios tractant.

Ac primum quidem filiorum amoribus vel vita dissoluta inflammantur ira ac indignatione, quae servorum fraudibus ac calliditate saepius supra incitatur.[2])

Tum autem hac iracundia neglecta ostendunt humanitatem, facilitatem, clementiam:

Velut Menedemus (Haut.), quem severitatis pristinae paenitet, filio ignoturus est eamque libertatem daturus, ut faciat, quod velit (Haut. 439, 464 sqq.).

Nicobulus (Bacch.) Bacchidis blanditiis mitigatus iram deponit (Bacch. 1171 sqq.).

Laches (Hec.), ut filii matrimonium restituat, una cum socrui rus iturus est (Hec. 610), quamquam uxorem vix tolerandam putat (Hec. 207; cf. 515 etc.).

Senex (Eun.) Phaedriae amicam, Chaereae uxorem concedit (Eun. 1036, 1040). Summo igitur iure Chaerea conlaudat:

„patris festiuitatem atque facilitatem" (Eun. 1048).

Ceteri patres, postquam res bene evenerunt, deleniuntur atque hilarantur.[3])

Hi senes ut homines iracundi, minores natu videntur esse quam senes illi anxii aut severi, quos antea tractavimus.[4])

---

[1]) Phorm. 63; cf. p. 36 sqq.

[2]) cf. Haut. 102 sqq.; Andr. 861 sqq.; Σαμ. 204 sqq.; Hec. 161 sqq., 198 sqq.; Phorm. 240, 425 sq.; Bacch. 690 sq., 777 sqq., 1090 sqq.; Pseud. 446 sq., 1295 sqq., 1325 sqq.; Eun. 989 sqq.; Trin. 983 sqq.; Περιν. 1 sqq., 14; fab. inc. I 46 sqq., 62 (p. 95 sqq. Koerte).

[3]) cf. Andr. 948 sqq., 956; Σαμ. 243 sqq.; Trin. 1125 sqq.; Phorm. 824 sqq.; Pseud. 1290 sqq.

[4]) Menedemus (Haut.) quidem Chremeti videtur esse „annos sexaginta natus aut plus" (62 sq.). Neque vero neglegendum est Chremetem hoc loco Menedemum adhortari, ut se reficiat ex labore, quem „ipse se puniens" facit sine ulla requie animi et corporis (cf. 139 sqq.). Ergo sexagenario fortasse similis videtur esse, etsi sexagesimum aetatis annum nondum complevit.

Eos capitibus canis esse saepius legimus. Pollux quidem de colore crinum nihil dicit nisi de *ἑτέρου πάππου*. Qua re Robert putat *πρῶτον πάππον* esse crinibus albis, *ἕτερον* rufis, ceteros autem omnes crinibus fuscis.[1]) Quod fieri non potest:

Primum enim tragicae personae[2]) ex ordine sunt: crinibus albis, canis, parum canis. Hi soli vocantur „*γέροντες*". At ceteri crinibus nigris vel flavis nominantur „*ἄνδρες*". Tum velut in Bacchidibus invenimus canis crinibus senes duos (Bacch. 1208). Cum autem *πρώτῳ πάππῳ* neuter attribui possit, praeter *πρῶτον πάππον* si non plures, duo personas canis crinibus esse ponendum est.

Isti igitur, qui Pollucis librum in epitomen coegerunt, verba ad crinum colorem pertinentia ideo fortasse omiserunt, quod praeter *πρῶτον πάππον* omnes personae crinibus canis erant, id est eo colore, qui senibus decet.

Quod ad mores attinet, et severitate et indulgentia adversus filios excellunt. Quo modo poetae comoediae novae optime imitati sunt ipsam vitam, hominesque ita descripserunt, ut sunt. Nam plurimos homines et illis et nostris temporibus modo iracundia modo facilitate sine ulla animi constantia vitam degere non est quod uberius exponam.

Cui naturae moribusque quae persona apta sit, docet Quintilianus[3]):

> „pater ille, cuius praecipuae partes sunt, quia interim concitatus, interim lenis est, altero erecto, altero composito est supercilio".

Talem autem invenimus Pollucis personam tertiam[4]):

> *ὁ δ' ἡγεμὼν πρεσβύτης στεφάνην τριχῶν περὶ τὴν κεφαλὴν ἔχει, ἐπίγρυπος, πλατυπρόσωπος, τὴν ὀφρῦν ἀνατέταται τὴν δεξιάν*".[5])

Ἡγεμὼν πρεσβύτης, cum tertio loco ponatur, fortasse minor est natu persona prima et secunda.[6]) Quae suspicatio confirmatur et capillorum habitu uberiore et lata facie. Liceat commemorare Demiphonem (Phorm.), quem huic personae tribuimus, fratrem minorem natu esse *πρῶτον πάππον* Chremetis.[7])

Dextro supercilio erecto, sinistro composito persona optime respondet verbis Quintiliani. Adnotandum est Simonem (Andr.)

---

[1]) Robert p. 26.
[2]) Poll. on. IV 133 sq.
[3]) inst. or. XI 3, 14; quem locum affert Robert p. 29.
[4]) Poll. on. IV 144.
[5]) cf. Robert fig. 59, 85.
[6]) de hac re cf. infra p. 49.
[7]) Phorm. 63; cf. p. 36 sqq.

in Andriae scrinio personarum dextro supercilio erecto, sinistro composito perspicue esse delineatum.[1])

§ 11.

De πρεσβύτῃ μακροπώγωνι.

Iracundis patribus in eisdem fabulis persaepe opponuntur patres placidi: Talis pater est *Micio (Ad.).

Micio vocatur „senex“ (Ad. 23, 364, 761).

Filium adoptivum patria caritate diligit, eumque educat faciliter atque benigne. Amores enim ei concedit (Ad. 101 sqq.), clementer eum castigat (Ad. 684 sqq.) veniamque dat (Ad. 696). Iure igitur ac merito laudatur „clemens, placidus“ (Ad. 864), vel „frater aut sodalis“ (Ad. 708) scil. filii adoptivi.

A coniugii nexibus liber (Ad. 44) iucundissimae vitae fructum petit (Ad. 42 sqq., 863 sqq.).

Optime autem animi aequitatem atque humanitatem ex eis scaenis cognoscimus, quibus Demeam fratrem tristem ac iracundum delenire conatur.[2])

Micioni simillimus est Periplectomenus (Mil.). Nominatur „senex“ (Mil. 135, 144, 155 etc.), „hau annos natus (est) praeter quinquaginta et quattuor“ (Mil. 629).

„Albicapillus“ est (Mil. 631), sed corpore saluberrimo. Ipse dicit (Mil. 630):

„clare oculis uideo, pernix sum pedibus, manibus mobilis“.

Quin etiam saltando adulescenti se parem esse affiirmat (Mil. 668).

Cui speciei natura moresque optime respondent:

A Palaestrione laudatur (Mil. 631; cf. 661):

„neutiquam ab ingenio senex“.

In adulescentia sine dubio amore insanivit.. Nam Plesidippum adulescentem amatorem amice reprehendit, quod cupiditate et amore non satis flagrare videatur (Mil. 624 sq.).

Adulescentis amores bene intellegit eumque consilio et opera adiuvat (Mil. 137, 144 etc.).

---

[1]) cf. Robert p. 29.

[2]) Ad. 100 sqq., 820 sqq. In versibus 933 sqq. humanus Micio infirmus videtur esse. Quod cum ceteris moribus Micionis haud convenit. Primum enim filium humane quidem educat, sed prudenter. Tum manifestum videtur esse poetam Graecum benignitatem Micionis probavisse, non Demeae severitatem. Qua re Donati ad versum 938 adnotatio: „Apud Menandrum senex de nuptiis non gravatur. Ergo Terentius εὑρετικῶς“, fortasse ita (intellegenda est, ut nuptiae Micionis exemplo Graeco a Plauto additae sint. De hac re uberius disputavit Henriette Siess, Wiener Studien 1907 p. 100 sqq.).

Qua re inflatum militem insano facinore libenter ludificatur (Mil. 241).

Ipse vitae bonis fruitur hilari animo, sed decenter atque modeste (Mil. 640 sqq.; cf. 652 sqq.).

Caelebs est, cum libertatis amore teneatur (Mil. 680 sq., 780 sqq.). Quas vitae rationes sequitur animi aequitas et humanitas (Mil. 705). Itaque saepius nominatur „lepidus" (Mil. 135, 155, 649, 725), eiusque „benignitas, venustas, comitas" praedicatur (Mil. 636, 651, 634).

Ad eundem typum pertinent (De Lachete (Hec.), quem Robert affert p. 61, 93, cf. p. 42 sqq.):

*Chremes (Andr.), *Chremes (Haut.), *Phidippus (Hec.), *Demeas (*Σαμ.*), *Pataecus (*Περικ.*), Philto (Trin.), Callipho (Pseud.), Megadorus (Aul.), Simo (Most.), Lysimachus (Merc.), Cleanetus (*Γεωργ.*), Laches (*Κιθ.*), Philoxenus (Bacch.).

„*Γέρων*" vocatur Cleaenetus (*Γεωργ.* 66, 73), Demeas (*Σαμ.* 146), „senex" Philto (Trin.), Megadorus (Aul.), Simo (Most.), Philoxenus (Bacch.), Chremes (Andr.), Chremes (Haut.), Lysimachus (Merc.).[1])

Aetatem mediam excesserunt Megadorus et Philto (Aul. 162; Trin. 319).

Philoxenus est „cano capite" (Bacch. 1208).

Lysimachus ita describitur[2]):

„canum, uarum, uentriosum, bucculentum, breuiculum, subnigris oculis, oblongis malis, pansam aliquantulum".

Hoc loco adnotare liceat Chremetem (Haut.) adversus aetatem bona valetudine uti vinique esse capacissimum (Haut. 519 sqq.).

Qui senes et alios homines, inprimis adulescentes amatores indulgentia tractant, et ipsi vitae bonis libenter sed honeste usi delectantur:

Philto (Trin.), senex dives (Trin. 347), filio permittit, ut puellam indotatam in matrimonium ducat (Trin. 375, 384). Similiter dives Megadorus (Aul. 166, 214), ipse uxorem sine dote ducturus est (Aul. 478 sqq.). Quod si omnes cives faciant, rem publicam meliorem fieri putat (Aul. 478 sqq.).

Callipho (Pseud.) et Philoxenus (Bacch.) luxuriam adulescentium excusant (Peud. 435; Bacch. 409).

Chremes (Haut.) et Philoxenus (Bacch.) ipsi in adulescentia dediti erant voluptati (Haut. 220; Bacch. 1080). Philoxenus

---

[1]) Trin. 560; Aul. 31, 34; Most. 700, 711 etc.; Bacch. 383; Andr. 369, 373, 788; Haut. 255, 409, 419 etc.; Merc. 503, 508, 525 etc.

[2]) Merc. 639 sq.; quibus versibus Demiphonem describi Robert p. 57 falso putat.

blanditiis Bacchidis multo facilius quam severus Nicobulus mitigatur (Bacch. 1145 sqq., 1150 sq.).

Simo (Most.) uxorem divitem minime amat, sed cena luxuriosa, qua maritum allicit, gaudet (Most. 698 etc., 692).

Chremes (Andr.) etsi ditissimus est (Andr. 101, 951), continenter vivit (Andr. 369). Clementem iudicem se praestat facinoris Pamphili (Andr. 903).

Eodem modo Phidippus (Hec.) et Laches (*Κιϑ.*) amori et adulescentiae indulgent (Hec. 542 sqq., 554 sqq.; *Κιϑ.* 53 sqq,).

Pataecus (*Περικ.*) Polemonis precibus commotus pro eo apud Glyceram loquitur (*Περικ.* 260 sqq.) eamque militi despondet (*Περικ.* 435 sqq.).

Lysimachus (Merc.) vicinum amantem adiuvat, quamquam libidinem eius improbat (Merc. 499 sqq.). „Scortari" enim adulescentes, non senes decere putat (Merc. 983 sqq.).

Tum a ceteris senibus differunt comitate atque aequitate animi. Qua re homines iracundos mitigant, amantes adiuvant:

Velut Pataecus (*Περικ.*) militis (*Περικ.* 219 sqq.), Cleaenetus (*Γεωργ.*) filii animum sedat (*Γεωργ.* frgm. 3).

Philto (Trin.) filium adhortatur, ut cupiditates contineat (Trin. 308 sq.). Nuptias filii ipse comiter conciliat (Trin. 384, 390). Voluntati Stasimi servi, qui, ne domini agellum accipiat ab eo petit, hilariter obsequitur (Trin. 537, 545 sqq.).

Calliphonis (Pseud.) aequus animus famis minime perturbatur (Pseud. 427 sqq.). Monet, ut ira vitetur (Pseud. 449). Pseudoli calliditate gaudet (Pseud. 522, 552).

Megadorus (Aul.) Euclionis mores benigne defendit excusatione paupertatis (Aul. 245 sqq.) operamque dat, ut morositatem et tristitiam ex animo eius pellat (Aul. 569).

Simo (Most.) Theopropidi seni de filii luxuria se nihil dicturum esse promittit (Most. 744 sqq.) libenterque concedit, ut domus inspiciatur (Most. 816).

Philoxenus (Bacch.) ipsius filii vitam libidinosam excusat et paedagogum, ut filium liberaliter habeat, hortatur (Bacch. 408 sqq.).

Chremes (Andr.) Simonem iratum delenit (Andr. 873, 894 sqq.) et veniam ab eo petit sceleris Pamphili (Andr. 901).

Chremetem (Haut.) miseret Menedemi vicini hautontimorumeni (Haut. 53 sqq., 168) eumque exhilarat (Haut. 162) atque consolatur (Haut. 159). Procedente quidem fabula ira incenditur, neque tamen tenetur (Haut. 915 sqq.). Ut primum enim ad id quod vult pervenit, filio ignoscit (Haut. 1065, 1067).

Phidippus (Hec.) ipse se nominat „animo leni natum" (Hec. 270). Indulget filiae, quae in aedes mariti redire nonvult (Hec. 243 sqq.).

Dives Demeas (*Σαμ.* 161 sqq.), qui cum concubina vivit, filium

adoptivum indulgenter habet (115 sqq.) et Niceratum, vicinum iracundum, mitigat hilari animo (244 sqq.).

Quam animi aequitatem atque humanitatem interdum scite ac commode complectuntur paucis versibus, ex quibus nonnullos afferam. Dicit velut:

Philto (Trin. 308 sq.):

„si animus hominem pepulit, actumst: animo seruit, non sibi;
si ipse animum pepulit, dum uiuit uictor uictorum cluet,“

Callipho (Pseud. 452):

„bonus animus in mala re dimidiumst mali“,

Philoxenus (Bacch. 1079 sq.):

„scio, fui ego illa aetate et feci illa omnia, sed more modesto;
duxi, habui scortum, potaui, dedi, donaui, sed enim id rarò“,

Chremes (Andr. 903):

„pro peccato magno paulum supplici satis est patri“,

Cleaenatus (*Γεωργ.* frgm. 3):

*„τὸ δ' ὀξύθυμον τοῦτο καὶ λίαν πικρόν
δεῖγμ' ἐστὶν εὐθὺς πᾶσι μικροψυχίας“*,

Chremes (Haut. 77):

„homo sum: humani nil a me alienum puto“.

Senes huius generis, quamquam albicapilli mediam aetatem excesserunt, corporibus saluberrimis utuntur. Periplectomenum (Mil.) quinquaginta quattuor annos natum esse legimus.[1])

Eis rebus, quae vitam exornant, hilariter fruuntur, ideoque adulescentium amoribus indulgent et filios educant clementi disciplina. A ceteris senibus omnibus differunt animi aequitate. Quae proprietas sine dubio maximi momenti est ad personam conformandam.

Deinde hi senes humani in eisdem comoediis nimirum saepissime opponuntur patribus illis severis,[2]) quos paragrapho antecedente *ἡγεμόνι πρεσβύτῃ* attribuimus.

Quibus de causis deducimur ad *πρεσβύτην μάκροπώγωνα*, quippe qui cum *ἡγεμόνι πρεσβύτῃ* ipso nomine ita, ut *ἕτερος πάππος* cum *πρώτῳ*, iuxta componatur[3]):

„ὁ δὲ πρεσβύτης μακροπώγων καὶ ἐπισείων στεφάνην τριχῶν περὶ τὴν κεφαλὴν ἔχει, εὐπώγων δ' ἐστὶ καὶ οὐκ ἀνατέταται τᾶς ὀφρῦς, νωθρὸς δὲ τὴν ὄψιν“.[4])

---

[1]) Mil. 269; hoc loco Ad. versum 938 propter adnotationem Donati (cf. p. 45) omittendum esse censeo.

[2]) scil. in Ad.—Trin.—Pseud.—Bacch.—Andr.—Haut.-Hec.—*Περικ.*—*Σαμ.*

[3]) Poll. on. IV 144; cf. Robert p. 51.

[4]) cf. Robert p. 61 sqq. fig. 11, 53, 86.

Verbo „*νωθρός*" meridianae regionis concitati incolae significare videntur animi tranquillitatem.[1]) Quae proprietas confirmatur superciliis compositis. Desunt igitur *πρεσβύτῃ μακροπώγωνι* severitas, tristitia, iracundia.

Capillorum quoque amplus habitus hominem divitem et serenum et qui vitae bonis libenter fruitur, videtur indicare. Hoc loco liceat adnotare cincinnatum esse et adulescentem *δεύτερον ἐπίσειστον*, quem luxuriae deditum esse supra explanavimus.[2])

Quod ad aetatem attinet Periplectomenum (Mil.) annos quinquaginta quattuor natum esse iam commemoravi. Qua re, cum *πρῶτον πάππον* annum sexagesimum excessisse supra viderimus,[3]) verisimillimum est ut adulescentium, ita senum personas compositas esse ordine aetatis. Ergo inter primam et quartam personam spatium est decem fere annorum.

Addendum est Lysimachum (Merc.) „bucculentum" nominari (Merc. 639). Supra vidimus *πρῶτων* et *ἕτερον πάππον*, id est senes aetate maxima, esse gracili facie. Nunc cognoscimus *πρεσβύτην μακροπώγωνα* ita ut *ἡγεμόνα* [4]) esse „*πλατυπρόσωπον*". Qua re, quae de personarum ordine aetatis suspicati sumus, insuper confirmatur.

§ 12.

De ceteris senum personis.

Restant personae quattuor [5]):

„*ὁ δὲ σφηνοπώγων ἀναφαλαντίας, ὀφρῦς ἀνατεταμένος, ὀξυγένειος, ὑποδύστροπος*",

„*ὁ δὲ Λυκομήδειος οὐλόκομος, μακρογένειος, ἀνατείνει τὴν ἑτέραν ὀφρῦν, πολυπραγμοσύνην παρενδείκνυται*",

„*ὁ δὲ Ἑρμώνιος ἀναφαλαντίας, εὐπώγων, ἀνατέταται τὰς ὀφρῦς, τὸ βλέμμα δριμύς*",

„*ὁ δὲ δεύτερος Ἑρμώνιος ἀπεξυρημένος ἐστὶ καὶ σφηνοπώγων*".

Quas personas origines ducere ex comoedia antiqua ideoque in nova vel raro vel omnino non occurrere Carolus Robert variis de causis demonstravit.

Primum enim verisimile est ambo *Ἑρμωνίους* a nomine Her-

---

[1]) cf. velut hunc locum Polybii (XXXI 23, 11 editionis Büttner-Wobst): „*δοκῶ γὰρ εἶναι πᾶσιν ἡσύχιός τις καὶ νωθρός, ὡς ἀκούω, καὶ πολὺ κεχωρισμένος τῆς Ρωμαϊκῆς αἱρέσεως καὶ πράξεως, ὅτι κρίσεις οὐχ αἱροῦμαι λέγειν*".

[2]) cf. p. 28 sqq.

[3]) cf. p. 35 sqq.

[4]) Poll. on. IV 144.

[5]) Pol. on. IV 144 sq.

monis histrionis, aequalis Aristophanis poetae, esse appellatos.[1]) Similia autem de Λυκομηδείῳ licet suspicari.[2])

Tum Σφηνοπώγων et δεύτερος Ἑρμώνιος propter barbas obsoletas necessario reperti sunt temporibus comoediae antiquae.[3])

Huc accedit testimonium imaginum:

Δεύτερος Ἑρμώνιος cognoscitur solum in antiquae comoediae histrionibus.[4]) Barba autem primi Ἑρμωνίου respondet mori saeculi quinti ante Christum natum.[5])

Quod attinet ad naturam moresque, cum ceteri, tum δεύτερος Ἑρμώνιος ab eis, qui librum in epitomen coegerunt, crudelius tractati sunt, quam ut aliquid certi dicere possimus. Cum vero primus Ἑρμώνιος saevissimus sit, colligendum est δεύτερον contrarii causa benignum atque humanum esse. Ergo duo Ἑρμώνιοι similiter inter se differunt, ac πρεσβύτης ἡγεμὼν et πρεσβύτης μακροπώγων. Fortasse igitur ambo Ἑρμώνιοι fuerunt πρεσβυτῶν — ut ita dicam — parentes. Σφηνοπώγων a primo Ἑρμωνίῳ barba differt, sed moribus simillimus est.

Quas personas temporibus novae comoediae depulsas esse aliis personis, quae melius respondeant et barbae crinumque habitui novo et mutatis hominum moribus facile intellegitur.

Quae cum ita sint, non miremur, si has personas in novae comoediae fabulis servatis omnino non reperiamus. Tamen proferam duos senes, quorum alteri Λυκομήδειος, alteri primus Ἑρμώνιος maxime idoneus videtur esse.[6])

Primum Charmides (Rud.) maxime differt a ceteris senibus omnibus. Moribus enim simillimus est lenoni. Describitur his verbis (Rud. 49 sq.):

„ei (scil. lenoni) erat hospes par sui, Siculus senex,
scelestus, Agrigentinus, urbis proditor“.

Lenoni suadet, ut eandem puellam fraudulenter bis vendat (Rud. 53 sqq.). Cum autem in insequentium manus inciderit, eum deserit atque irridet et ignavum, infidelem, improbum se praebet (Rud. 516 sqq., 886 sqq.).

Vocatur „senex“ (Rud. 49).

Talem senem tribuam personae Λυκομηδείου. Primum enim πολυπραγμοσύνην ostendit, cum negotiis alienis se immiscet. Tum

---

[1]) Robert p. 63 sq.
[2]) Robert p. 64.
[3]) Robert p. 109.
[4]) Robert p. 21.
[5]) Robert p. 64.
[6]) Robert p. 64 personae Σφηνοπώγωνος attribuit duo danistas. Quod incertum esse puto, cum nominentur „adulescens“; cf. Most. 653, Curc. 399.

homo nihili est, ita ut πορνοβοσκός, quem hominem improbum supra cognoscimus et qui „τἆλλα“ Λυκομηδείῳ similis est.[1])

Tum afferendus est Euclio (Aul.):

Nominatur „senex“ (Aul. 37, 171, 293 etc.).

Assiduo timore perterretur, ne aurum sibi eripiatur (Aul. 40 sqq. etc.). Quamobrem est animo suspiciosissimo, inhumanissimo ac concitatissimo (Aul. 90 sqq., 114 sqq. etc.). Nunquam tardo passu ingreditur, sed currit properatque „exanimatus“ (Aul. 181, 208, 627). Summo furore inflammatus ancillam et coquum verberibus foras protrudit (Aul. 40 sqq., 406).

Euclionem igitur hominem non interim, sed semper concitatum licet nominare.

Itaque ei aptissimus est primus Ἑρμώνιος, quippe qui solus ex senum personis ambobus superciliis erectis[2]) insuper „τὸ βλέμμα δριμύς“ appelletur.[3])

[1]) cf. Robert fig. 16, 17, 18, 19.
[2]) omitto Σφηνοπώγωνα propter barbam exoletam.
[3]) cf. Robert fig. 35.

Caput III.

De servis.

§ 13.

De ἡγεμόσιν.

Novae comoediae servi plurimi et qui primas partes agunt, inter se ita congruunt, ut idem servus variis nominibus identidem in scaenam progredi videatur. Saepissime enim inducuntur servi illi callidi, audaces, fraudulenti, velut:

*Pseudolus (Pseud.), *Leonida (As.), Libanus (As.), Milphio (Poen.), Palaestrio (Mil.), Tranio (Most.), Epidicus (Epid.), Chrysalus (Bacch.), Syrus (Ad.), Syrus (Haut.), Geta (Phorm.), Davus (Andr.), cui respondet Davus (*Περινϑ.*).[1])

Alios servos imprimis propter calliditatem vel audaciam, etsi partes minores agunt, eidem typo attribuam:

Thesprio (Epid.), Stalagmus (Capt.), *Stichus (Stich.), Sangarinus (Stich.), Palinurus (Curc.), Lyconidis servus (Aul.), Cyamus (Truc.), Stasimus (Trin.), servus Alcesimarchi (Cist.), Parmeno (Hec.), *Davus (Phorm.), *Parmeno (*Σαμ.*), Davus (*Περικ.*), Onesimus '*Επιτρ.*), servus Phidiae (*Κολ.*).[2])

Quibus de servis singulis disputare, nimirum longum est nec operae pretium. Qua re ea tantum, quibus partes ac mores maxime inter se consentiunt, quasi summatim praedicemus:

Plurimi sunt servi adulescentium amatorum vel patrum adulescentium.[3]) Adulescentes autem saepissime implicantur diffi-

---

[1]) Toxilus et Sagaristio (Pers.) eiusdem typi videntur esse, etsi Persa comoediae mediae attribuitur. (Wilamowitz, ind. lect. Gott. 1893/94 p. 13 sq.). cf. Pers. 81 sqq., 753 sqq. — fortasse addendus est Chalinus (Cas.), servus callidus et audacissimus, cf. Cas. 509 sqq. etc.

[2]) ad hos Robert p. 54 affert Davum (*῞Ηρ.*). Sed Davus natura moribusque ab his servis multum differt. Tum verba (*῞Ηρ.* 5) „*τί τὰς τρίχας τίλλεις*" mea quidem sententia et ad personam „*κάτω τριχίας*" pertinere possunt; cf. p. 56 sqq.

[3]) scil. omnes praeter Davum (Phorm.) et Stalagmum (Capt.). Captivorum argumentum a ceteris comoediis omnibus differre nemo nescit.

cultatibus, sive quod amores celaturi sunt, sive quod pecunia eis opus est, sive etiam quia nesciunt, quomodo amicula potiantur.

Tum res ad triarios redit, scil. ad servos, qui dolis ac fraudibus auxilium ferant. Quae spes non frustratur. Neque enim unquam hi servi difficultatibus perturbantur. Immo statim consilia capiunt rationesque insistunt summa calliditate.[1])

Saepius primum inventum nondum sufficit vel ad irritum cadit. Sed servi impavidi novas fallacias fingunt.[2])

Itaque saepissime vel patres adulescentium, vel lenones, vel erilis filii rivales fraudibus fallunt.

Si in angustiis haerent, forte fortuna adiuvantur (cf. Epid. 675 sqq.; Andr. 498 sqq. etc.).

Extrema fabula veniam impetrant, interdum vel manumissionem (Epid. 726 sqq.; And. 970 sqq.). Superatis difficultatibus gaudio exsultantes libenter vino se obruunt.[3])

Ita senes fallunt, adulescentibus serviunt, privatum suum commodum nunquam neglegunt.

Calliditate atque audacia et ii excellunt, qui partes minores agunt.[4])

De specie legimus pauca.

Leonida (As.) ita describitur (As. 400 sq.):

„macilentis malis, rufulus aliquantum, uentriosus,
truculentis oculis, commoda statura, tristi fronte“.

Davus (Phorm.) nominatur „rufus“ (Phorm. 51).

Palaestrio (Mil.) astat „seuero fronte“ (Mil. 201).

Discimus igitur ex his locis servos huius generis esse crinibus rufis et frontibus contractis.[5])

Quod ad personam attinet, imprimis calliditatem et versutiam exprimendas esse apparet. Tum magni momenti est in nonnullis comoediis, velut in Asinaria, eadem natura moribusque servos duo, quasi par nobile fratrum inveniri. Itaque fortasse duae personae eisdem fere moribus huic typo respondent.

---

[1]) cf. Pseud. 405; As. 334; Poen. 161 sqq.; Mil. 213 sqq.; Most. 387 sqq.; Epid. 195 sqq.; Bacch. 239 sqq.; Aul. 678 sqq.; Ad. 368 sqq.; Phorm. 559 sqq.; Haut. 332 sqq.; Andr. 386 sqq.; Hec. 290 sqq.; *Ἐπιτρ.* 310 sqq. etc.

[2]) cf. Pseud. 600 sqq.; Most. 637 sqq.; Bacch. 714 sqq.; Ad. 534 sqq.; Haut 674 sqq.; Andr. 498 sqq., 704 sqq. etc.

[3]) Pseud. 1246 sqq., 1287; Most. 775 sqq.; Stich. 683 sqq.; cf. 419 sq.; Bacch. 925 sqq.; Ad. 972 sqq.; Andr. 842 sqq.; Phorm. 841 sqq.

[4]) Epid. 12; Capt. 955 sqq.; Curc. 190 sqq.; Truc. 600 sqq.; Trin. 413 sqq.; Cist. 246 sqq.; Hec. 78 sqq.; *Σαμ.* 94 sqq.; *Περικ.* 77 sqq.; *Ἐπιτρ.* 538 sqq.; cf. frgm. 2, 3 etc.

[5]) addendum est Chalinum (Cas.), quem huic typo fortasse attribuendum esse supra diximus (p. 52 adn. 1), a sene moneri, ut „porrectiore fronte“ loquatur (Cas. 281).

Et profecto Pollux duas personas eis servis attribuit, qui primas partes agunt[1]):

„ὁ δ᾽ ἡγεμὼν θεράπων σπεῖραν ἔχει τριχῶν πυρρῶν, ἀνατέταται τὰς ὀφρῦς, συνάγει τὸ ἐπισκύνιον, τοιοῦτος ἐν τοῖς δούλοις, οἷος ὁ ἐν τοῖς ἐλευθέροις πρεσβύτης ἡγεμών“,

„ὁ δ᾽ ἐπίσειστος ἡγεμὼν[2]) ἐοίκοι ἂν τῷ ἡγεμόνι θεράποντι πλὴν περὶ τὰς τρίχας“.[3])

Habemus igitur duas personas, quae praeter crinum habitum inter se congruunt. Quas personas in nova comoedia usitatissimas esse et eis servis, qui primas partes agunt, attribuendas, cum verbis „τοιούτοις ἐν τοῖς δούλοις, οἷος ὁ ἐν τοῖς ἐλευθέροις πρεσβύτης ἡγεμών“, tum ipso nomine „ἡγεμών“ videtur demonstrari.[4]) Quo verbo et eorum senum, qui primas partes agunt, personam appellari hoc loco liceat iterum commemorare.[5]) At in adulescentium personis inspiciendis hoc nomen nusquam invenimus, cum, quod adulescentium partes attinet, aliae personae aliis nequaquam anteponantur.

Superciliis erectis et contractis calliditas atque versutia videntur significari. Neque enim fronte exporrecta securus ingreditur, qui semper animum attendit ad cavendum neque cessare debet difficultates fraudibus callidissimis superare.

Insuper in ipsis comoediis Leonidam (As. 401), Palaestrionem (Mil. 201), Chalinum (Cas. 281), contractis frontibus induci iam invenimus. Quin etiam Davi (Phorm. 51) et Leonidae (As. 400) crines rufi in descriptione Pollucis commemorantur.

Ergo ea quae de specie in comoediis legimus, verbis Pollucis respondent optime.[6])

§ 14.

De ceteris servorum personis.

Servos callidos, fraudulentos, primas partes agentes unius typi esse vidimus. Pauci illi servi, qui restant, ad unum fere omnes agunt partes minimas. Qua re typos cognoscere difficillimum est. Tamen tria genera sunt discernenda.

---

1) Poll. on. IV 149.
2) Poll. on. IV 150.
3) cf. Robert fig. 2, 4, 56, 72, 88, 89, 90, 91, 12.
4) Robert p. 69 sq.
5) cf. p. 44.
6) cf. Robert p. 56 sq.

De οὔλῳ θεράποντι.

Primum enim servis callidis saepius opponuntur servi stolidi atque ignavi, velut Sceledrus (Mil.), Burria (Andr.), Olympio (Cas.), Grumio (Most.), Davus (Ἐπιτρ.), Dromo (Haut.).

Sceledrus (Mil.), Pyrgopolinicis militis servus, opponitur callido Palaestrioni. Summo iure nominatur „homo hau magni preti" (Mil. 145). Conservi enim fraudibus facile in errorem inducitur (Mil. 315 sqq.). Angore perturbatus timet, ne tergo suo magnum malum excitaverit (Mil. 278 sqq., 491 sqq., 579 sqq.). Tum timidus in occultum se abdit (Mil. 582), ut vino obruatur (Mil. 822). Ita risum movet ignavia ac stupiditate.

Burria (Andr.) operam dat, ut ignaviam nimia providentia obscuret (Andr. 305 sqq.). Ut primum permissum est, libentissime fuga salutem petit (Andr. 337). Nimirum non perspicit, quid callidus Davus moliatur (Andr. 425 sqq.). Verberibus, quibus dignus est, se affectum iri non ignorat (Andr. 431). Adulescentes et Davum et Burriam bene noverunt, cum dicant (And. 335 sqq.):

> „Dauom optume
> uideo, quoius consilio fretus sum. At tu (scil. Burria) [hercle haud quicquam mihi
> nisi ea quae nil opus sunt sciri".

Davus (Ἐπιτρ.) a callido servo cogitur, ut crepundia, quae invenit, reddat (Ἐπιτρ. 1 sqq.).

Olympio (Cas.) et Grumio (Most.)[1]) sunt rusticani (Cas. 52, Most. 7 sq.). Olympio excellit libidine et stultitia (Cas. 843 sqq., 883 sqq. etc.). Qua re turpiter fraudibus fallitur (Cas. 875 sqq.), Grumio (Most.) a Tranione conservo verberatur (Most. 9). Quem, etsi vitam eius dissolutam improbat, „fortunatum" nominat, se ipse „miserum" (Most. 46).

Dromo (Haut.) a Syro conservo dimittitur (Haut. 250). „Tardiusculus" vocatur eo loco, quo cum callido Syro comparatur (Haut. 515).

Etsi non omnes huius generis servi rusticani nominari possunt, tamen a ceteris servis similiter differunt ac adulescentes rustici ab adulescentibus urbanis. Perspicuum enim est hos servos stupiditate atque ignavia contrarios esse callidis illis servis, quos „ἡγεμόσιν" attribuimus. Quamobrem fieri non potest, ut persona supercilia erecta et contracta habeat, quippe quae ad calliditatem et versutiam pertineant.

Pollux autem praeter ἡγεμόνες affert personas tres.[2]) Ex

---

[1]) ad hos hoc loco fortasse afferendus est Truculentus servus rusticus. (Truc. 256 sqq.; cf. 678) et Sceparnio (cf. Rud. 414 sqq., 470).

[2]) omittendi sunt „Μαίσων" et „Τέττιξ", quos coquis respondere Robert demonstrat p. 12.

quibus „πάππος“ tribuitur libertinis. Tum „κάτω τριχίας“ omnibus indiciis ignaviae et stupiditatis caret. Ergo restat οὖλος θεράπων[1]):

„ὁ δ' οὖλος θεράπων δηλοῖ μὲν τὰς τρίχας, εἰσὶ δὲ πυρραὶ ὥςπερ καὶ τὸ χρῶμα· καὶ ἀναφαλαντίας ἐστὶ καὶ διάστροφος τὴν ὄψιν.“ [2])

Quae persona rufis crinibus cum omnibus fere servorum personis congruit. Ad oris colorem rufum pertinent hi loci physiognomici[3]):

„ἀναιδοῦς σημεῖα· . . . ἐπίπυρρος τὸ σῶμα, τὸ χρῶμα ὕφαιμον“,

„οἱ πυρροὶ ἄγαν πανοῦργοι“.

Servos huius generis occasione data libidinosos esse legimus. A fraudibus autem fortasse ingenii tarditate et ignavia impediuntur. Nam stupiditas et anxietas oculis perversis exprimatur. Neque enim fieri potest, quin calvus servus risum moveat, cum altero oculo eum aspicit, quocum loquitur, altero autem petit quo evadat (cf. Robert fig. 57!).

Cum de superciliis nihil dicatur, composita esse suspicari licet; quod imaginibus confirmatur.[4])

De κάτω τριχίᾳ.

Deinde in comoediis procedunt perpauci servi nec fraudulenti nec stolidi, sed honesti ac probi. Tales servi sunt: Parmeno, (Eun.), Geta (Ad.), Lampadio (Cist.), Messenio (Men.), Daos (Ἥρ.).[5])

Parmeno (Eun.), cum adulescentes amatores adiuvet, partibus congruere videtur cum servis fraudulentis. At natura et moribus ab ἡγεμόσι multum differt. Primum enim magnopere dolet, quod adulescentes corrumpantur amoribus (Eun. 50 sqq., 225 sqq.) et quod incommoda seni patri ex his amoribus oriantur (Eun. 298 sqq.).

Deinde Chaeream dehortatur, ne consilium peragat (Eun. 378 sqq.). Tum, etsi eri filios adiuvat, tamen senem patrem nequaquam fraudibus fallit. Immo, ut primum senex rure revenit, omnia aperte ei profitetur (Eun. 981 sqq.).

---

[1]) Poll. on. IV, 149; Robert p. 71 huic personae tribuit Sangarinum (Stich.). Qui mea quidem sententia in servis callidis et fraudulentis, id est in ἡγεμόσι numerandus est; cf. Stich. 683 sqq.

[2]) cf. Robert fig. 20, 21, 22, 23, 57.

[3]) I 17 p. 807ᵇ (p. 30 Förster), II 67, p. 812ᵃ (p. 74 Förster); quos locos profert Robert p. 59.

[4]) cf. Robert p. 16.

[5]) hoc loco fortasse addendus est Trachalio (Rud.), quippe qui adulescenti fideliter serviat; cf. Rud. 615 sqq., 774 etc.

Geta (Ad.) et Lampadio (Cist.) partibus ac moribus inter se simillimi sunt. Ille Sostratae, hic Phanostratae fideliter servit (Ad. 305 sqq., 310 sqq.; Cist. 544, 536 sqq.). Uterque erae res adversas aegre fert curatque, ut meliores fiant (Ad. 299 sqq.; Cist. 536 sqq.). Geta commode describitur his verbis (Ad. 480 sqq.):

„non malus,
neque iners; alit illas, solus omnem familiam sustentat".

Davus (*῞Ηρ*) in amorem Plangonis, quam conservam putat, incidit (*῞Ηρ*. 4 sq.). Plango autem ab adulescente vicino vitiata est (*῞Ηρ*. 6 sq.). Quod cum cognitum sit, Davus „supra servilem modum generosus" (*῞Ηρ*. 6 sq.) culpam in se est translaturus.[1] Messenio (Men.) Menaechmo-Sosicli servit summa probitate ac fide (Men. 966 sqq., 234, 1001 sqq.).

Quibus servis probis reliqua est una haec persona[2]):

„*ὁ δὲ κάτω τριχίας ἀναφαλαντίας ἐστὶ καὶ πυρρόθριξ, ἐπηρμένος τὰς ὀφρῦς*".[3])

Verba „*ἐπηρμένος τὰς ὀφρῦς*" supercilia paulo erecta videntur significare.[4]) Saepius autem vidimus homines iracundos esse superciliis erectis, ignavos[5]) superciliis compositis. Fortasse igitur homines probi, quippe qui quasi medii sint inter concitatos et placidos, superciliis sunt nec omnino erectis nec compositis, sed paulo erectis.

Quae suspicatio inde confirmatur, quod servus *κάτω τριχίας* similis est ei senum personae, quae vocatur „*ἕτερος πάππος*". Qui senex testimonio imaginum est superciliis paulo erectis.[6]) Quibuscum imaginibus optime congruunt Pollucis verba „*ἐντονώτερος τὸ βλέμμα.*"[7]) Apparet enim hominem, qui supercilia paulum erigit, intentis oculis tueri. Tales autem oculi probis hominibus sine dubio maxime sunt idonei. Ac re vera *ἕτερος πάππος* excellit summa probitate.[8]) Itaque servis probis persona *κάτω τριχίας* propter supercilia paulo erecta iure attribuatur.[9])

Quae res nimirum certo diiudicari non potest, cum verba ad personae ipsam naturam pertinentia descriptioni Pollucis desint.[10])

---

[1]) quibus verbis utitur Koerte p. XVII.
[2]) Poll. on. IV 149.
[3]) cf. Robert fig. 34.
[4]) cf. Robert p. 30.
[5]) cf. senem *πρῶτον πάππον* vel *νεανίσκον ἁπαλόν*.
[6]) Robert p. 30.
[7]) Poll. on. IV 144.
[8]) cf. p. 38 sqq.
[9]) Robert p. 71 huic personae tribuit Getam (*῞Ηρ*) et Syriscum (*Ἐπιτρ.*). Quos servos omitto, quod in fragmentis partes minimas agunt.
[10]) qua de re in universum cf. p. 58.

De πάππῳ.

Tum restant nonnulli libertini vel paedagogi, qui aetate et moribus inter se consentiunt. Manumissi sunt: *Sosia (Andr.), libertus (Φάσ); paedagogi: *Acanthio (Merc.), *Lydus (Bacch.).[1]

Sosia (Andr.) est libertus Simonis senis (Andr. 37). Qui fidem eius et taciturnitatem laudibus effert (Andr. 34).

Liberti (Φάσ.)[2] nomen, quocum Phidias adulescens colloquitur, non exstat. Verisimile est eum amatoris paedagogum fuisse. Nam ut paedagogus maxima aetate adulescentem adhortatur, ut vitam luxuriosam ac mollem deponat (Φασ. 34 sqq.).

Cui liberto simillimus est Lydus (Bacch.), qui fuit paedagogus Pistocleri (Bacch. 138). Amores meretricum defugiendos esse adulescenti demonstrare conatur (Bacch. 109 sqq.).

Acanthio (Merc.) paedagogus fuit Charini (Merc. 90). Quem, cum iter faciat, quasi „custos" comitatur (Merc. 89 sqq.).

Pollux libertis hanc personam tribuit[3]:

„ὁ μὲν πάππος μόνος τῶν θεραπόντων πολιός ἐστι, καὶ δηλοῖ ἀπελεύθερον".

Qui „πάππος", cum solus ex servorum personis canis crinibus sit, sine dubio aptus est libertis vel paedagogis maioribus natu.[4]

Quod autem singula oris lineamenta et naturam moresque huius πάππου attinet, de his rebus aliquid certi dicere vix possumus, cum Pollucis descriptio minime sufficiat.

Qua de re liceat in universum pauca addere. Neque enim ignoro partes servorum interdum minores esse, quam ut mores satis dilucide cognosci possint. Accedit, quod Pollux, fortasse eorum culpa, qui librum in epitomen coegerunt, complures personas servorum brevissime describit. Nam ea verba, quae ad ipsam naturam moresque adulescentium vel senum pertinent, velut illa „πάγχρηστος", „γυμναστικός", „ἁπαλός" etc., servorum personis omnino fere desunt. Quae cum ita sint, servos et servorum personas minus certo diiudicari posse quam adulescentes ac senes concedendum est.

---

[1]) Robert p. 69 ad hos affert Chrysalum (Bacch.), Getam (Phorm.), Onesimum (Ἐπιτρ.). Equidem puto hos servos numerandos esse in servis callidis ac fraudulentis, id est in ἡγεμόσιν; cf. p. 52 sqq.

[2]) cf. Koerte p. LVI.

[3]) Poll. on. IV 149.

[4]) cf. Robert p. 69.

Conclusio.

Adulescentes amatores, senes, servos, ut in uno conspectu ponantur, singulis quibus tribuendi sunt personis liceat ascribere:

I. Adulescentes

α) *νεανίσκος πάγχρηστος*:
Aristophontes (Capt.), Alcesimarchus (Cist.), Stratippocles (Epid.), *Philolaches (Most.), *Plesidippus (Rud.), *Phaedria (Eun.), Lesbonicus (Trin.).

β) *νεανίσκος μέλας*:
Lyconides (Aul.), Tyndarus (Capt.), Eutychus (Merc.), Pleusicles (Mil.), Calidorus (Pseud.), Lysiteles (Trin.), Clinia (Haut.), Pamphilus (Hec.), Phaedria (Phorm.), *Charisius (*Ἐπιτρ.*).

γ) *νεανίσκος οὖλος*:
Mnesilochus (Bacch.), Philocrates (Capt.), Charinus (Merc.), Charinus (Pseud.), Nicodemus (Vid.), *Gorgias (*Γε.*), Gorgias (*Ἡρ.*).

δ) *νεανίσκος ἁπαλός*:
Argyrippus (As.), *Pistoclerus (Bacch.), *Diniarchus (Truc.), Ctesipho (Ad.), Pamphilus (Andr.), *Chaerea (Eun.), Clitipho (Haut.), Antipho (Phorm.).

ε) *νεανίσκος ἄγροικος*:
Strabax (Truc.), *Chremes (Eun.).

ζ) *νεανίσκος δεύτερος ἐπίσειστος*:
Diabolus (As.), Phaedromus (Curc.), ambo Menaechmi (Men.), Callidamates (Most.), Agorastocles (Poen.), adulescens dives (*Γε.*), *Moschion (*Περικ.*), *Moschion (*Σαμ.*).

II. Senes

α) *πρῶτος πάππος*:
Demaenetus (As.), *Lysidamus (Cas.), pater Alcesimarchi (Cist.), Periphanes (Epid.), senex (Men.), *Demipho (Merc.), *Theopropides (Most.), Antipho (Stich.), Chremes (Phorm.).

β) *ἕτερος πάππος*:
Hegio (Ad.), Alcesimus (Cas.), Apoecides (Epid.), Hanno (Poen.), Daemones (Rud.), Callicles (Trin.), Callicles (Truc.), *Crito (Andr.), Smicrines (*Ἐπιτρ.*).

γ) ἡγεμὼν πρεσβύτης:
Nicobulus (Bacch.), Hegio (Capt.), Simo (Pseud.), Charmides (Trin.), *Demea (Ad.), *Simo (Andr.), Laches (Hec.), *Menedemus (Haut.), Demipho (Phorm.), senex (Eun.), Laches (*Περ.*), *Niceratus (*Σαμ.*), Laches (Men. fab. inc. I.).

δ) πρεσβύτης μακροπώγων:
Megadorus (Aul.), Philoxenus (Bacch.), Lysimachus (Merc.), Periplectomenus (Mil.), Simo (Most.), Callipho (Pseud.), Philto (Trin.), *Micio (Ad.), *Chremes (Andr.), *Chremes (Haut.), *Phidippus (Hec.), Cleaenetus (*Γε.*), Laches (*Κιθ.*), *Pataecus (*Περικ.*), *Demeas (*Σαμ.*).

ε) πορνοβοσκός:
Cappadox (Curc.), Dordalus (Pers.), Lycus (Poen.), Ballio (Pseud.), *Labrax (Rud.), *Sannio (Ad.), *Dorio (Phorm.), leno (*Κόλ.*).

ζ) Ἑρμώνιος:
Euclio (Aul.).

η) Λυκομήδειος:
Charmides (Rud.).

III. Servi

α) ἡγεμόνες:
*Leonida (As.), Lyconidis servus (Aul.), Libanus (As.), Chrysalus (Bacch.), [Chalinus (Cas.)], Stalagmus (Capt.), Palinurus (Curc.), servus Alcesimarchi (Cist.), Epidicus (Epid.), Thesprio (Epid.), Palaestrio (Mil.), Tranio (Most.), Toxilus (Pers.), Sagaristio (Pers.), Milphio (Poen.), *Pseudolus (Pseud.), *Stichus (Stich.), Sangarinus (Stich.), Stasimus (Trin.), Cyamus (Truc.), Syrus (Ad.), Davus (Andr.), Syrus (Haut.), Parmeno (Hec.), Geta (Phorm.), *Davus (Phorm.), *Onesimus (*Ἐπιτρ.*), servus Phidiae (*Κόλ.*), Davus (*Περικ.*), Davus (*Περιν.*), *Parmeno (*Σαμ.*).

β) πάππος:
*Sosia (Andr.), libertus (*Κόλ.*), *Lydus (Bacch.), *Acanthio (Merc.).

γ) κάτω τριχίας:
Lampadio (Cist.), Geta (Ad.), Parmeno (Eun.), Davus (*Ἥρ.*), Messenio (Men.), [Trachalio (Rud.)].

δ) οὖλος θεράπων:
Olympio (Cas.), Sceledrus (Mil.), Grumio (Most.), Burria (Andr.), Dromo (Haut.), [Truculentus (Truc.), Sceparnio (Rud.)].

Nimirum unicuique adulescenti, seni, servo, personam Graeci exempli attributam esse nequaquam affirmo. Velut ex fragmentis

Menandri nonnulla minora sunt, quam ut hominum mores certo cognosci possint. Quod suis locis adnotavi.

Tamen demonstravisse mihi videor novae comoediae fabulas servatas cum personis Pollucis optime congruere: Re vera Pollux describit personas eorum hominum, qui in nova comoedia inducuntur. Pollucis igitur enumerationem ex optimo fonte, fortasse ex libro, quem scripsit Aristophanes Byzantius „περὶ προςώπων“, sumptam esse [1]) hac quoque dissertatione confirmatur.

Quae cum ita sint, si ad novam comoediam considerandam Pollucis personas adhibemus, hominum, qui procedunt, aetatem, speciem, partes, moresque melius cognoscimus atque perspicimus. Quas personas qui neglexit, adhuc nihil fere segregavit nisi „patrem severum“ et „mitem“ vel „adulescentem luxuriosum“ et „probum“. Ad haec Pollucis descriptioni brevissimae quasi anima infunditur, si cum personis eos, quibus destinatae sunt, homines comparamus.

Itaque si quaerimus, quomodo novae comoediae adulescentes amatores, senes, servi cum Iulii Pollucis personis congruant, et ipsas personas et novam comoediam spero illustrari.

---

[1]) cf. Robert p. 60.

Typis expressit Robertus Noske Bornensis.

Vita.

Ernestus Roth natus sum Lipsiae Non. Sext. anno 1889 patre Frederico matre Theresa ex gente Linsser oriunda. Fidei addictus sum evangelicae. Ab anno 1902 per septem annos frequentavi scholam Nicolaitanam Lipsiensem, quae tum Kaemmelo rectore florebat. Vere anni 1909 maturitatis testimonium adeptus universitatem Lipsiensem adii studiis philologis operam navaturus. Anno 1910 per sex menses Monachii universitatem Ludovico-Maximilianeam adii. Docuerunt me Monachii:

Crusius, Drerup, Iacobsohn, v. d. Leyen, Otto, Poehlmann, Voll, Wolters;

Lipsiae:

v. Bahder, Barth, Bethe, Brugmann, Eulenburg, R. Heinze, Holz, Iungmann, Köster, Lamprecht, Lipsius, Martini, Meister, Richter, Sievers, Studniczka, Süß, Volkelt, Wundt.

Ad exercitationes archaeologicas me admisit Studniczka. Proseminariis philologis interfui Bethii, Heinzii, Martinii, Meisterii, Sieversii, Süßii, per annum seminarii philologi sodalis ordinarius fui moderantibus Bethio, Heinzio, Lipsio.

Quibus praeceptoribus omnibus gratam servabo memoriam; maximas vero gratias ago Ricardo Heinze, qui in hac dissertatione perficienda benevolentissime consilio auxilioque me adiuvit.